ALMÆ INGOLSTADIENSIS ACADEMIAE TOMVS PRIMVS,

In ſeptem diuiſus partes:

QVARVM

I. *Acclamationes Poëticas:*
II. *Cancellarios & Procancellarios Ampliſſimos:*
III. *Principes Illuſtriſſimos:*
IV. *Comites Illuſtres:*
V. *Barones Generoſos:*
VI. *Archiepiſcopos & Epiſcopos Reuerendiſſimos:*
VII. *Profeſſores SS. Theologiæ Venerandos complectitur:*

Inchoatus primùm à

M. VALENTINO ROTMARO, P. L. & Eloquentiæ Profeſſore Ordinario:

Iam verò poſt immaturum ipſius obitum accuratè fideliterque abſolutus:

A

M. IOANNE ENGERDO, SS. THEOL. Bacc. P. L. ac Poëſios Profeſſore Ordinario.

Vnà cum duplici INDICE, *eoq́; locupletiſſimo.*

INGOLSTADII,
Ex Typographia DAVIDIS SARTORII.

Cum Gratia & Priuilegio Cæſ. Maieſt.
M. D. LXXXI.

ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO ALEXANDRO, DVCI SLVCENSI ET COPELIENSI LITHVANO, &c. DOMINO SVO

Clementissimo; perpetuam & corporis & animæ salutem precatur.

N*IHIL PROFECTO, ILLVstrissime Princeps Alexander, innumera inter illa, quæ ab hominibus ingenio prudentiaq́ acutis, ad firmum Reipub. subsidium atque instrumentum virtutis per omnes ætates & gentes mirificè excogitata ac feliciter inuenta sunt, præclarius vnquam fuit, quàm rerum veterum monumenta & commemorationem antiquitatis posteritati consecrare. An non enim Historia (vt cum Antonio apud M. T. Ciceronem Principem Oratorũ loquar) testis est temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, & nuntia vetustatis? An non idem M. Cicero verè dixit, quod & Ægyptius Sacerdos*

antè Soloni dixerat, Nescire, quid antea quàm natus sis acciderit, id est, semper puerum esse? Quòd si igitur rerum antiquarum cognitio iis, qui priuatam degunt vitam, magnopere conducit; multò magis iis erit expetẽda, imò perquàm necessaria, qui summo loco nati, rerum publicarum habenas tenent & moderantur.

Hoc sanè Carolum illum Magnum Imperatorem, Francorum in Germania simul & in Gallia Regem eò vehementiùs inflammauit, vt nõ solummodò de antiquioribus Germanorum suorum Historiis, quæ numerosis tantùm rhytmis, vt etiamnum vulgô sæpius fieri solet, compositæ paßim decantari cõsueuerant, vndiquaq; colligendis, & in aptam atq; concinnam temporum rerumq; gestarum seriem digerendis solicitus: præmiis insuper munificè propositis, Scriptores Patriæ nostræ studiosos, neq; paucos neq; omnino ineptos excitârit; Verùm etiam quotiescunq; per occupationes imperatorias atq; regias liceret, nobilißimum illud Historiographorum opus non leuiter & ipse tractârit; Regibus nimirum & Principibus aliis præclarum, quod imitarentur, exemplum relicturus.

NAM

NAM si qua vnquam ars est, quæ & dicta & facta & consilia hominum diligenter conseruet, memoriam firmè tueatur, veritatem dilucidè illustret, vitam rectè regat, temporum vices ordinatè reddat, vetusta et ab hominum memoria immensis remota spatiis fideliter nuntiet; ab Historia certè accipiamus necesse est, quæ aliquātò illustriùs atq; efficaciùs, quàm multæ aliæ disciplinæ, de moribus & vita hominum, de virtutibus & vitiis, imperandiq; artibus disserit: In Historia enim primùm consilia, deinde acta, & tandem euentus fructuosè explicantur: In Historia non solùm quid actum aut dictum sit; sed & quomodo, quo loco, quo tempore, & à quibus, copiosè notatur: In Historia omnes euentuum caussæ, vel casus, vel sapientiæ, vel temeritatis sapienter adduntur; hominumq;, ipsorum non tantùm res gestæ, sed etiam ij, qui fama ac nomine excellunt, & plurimorum vita atque natura vbertim describuntur: Factorum denique præmia et pœnæ ante oculos vsq; adeò manifestè ponuntur, vt Historia Pictura loquens, & contrà Pictura Historia tacens, rectißimè dicatur.

Qvocirca Valentinus Rotmarus, cuius manibus bene exopto, vir vndiquaq; doctissimus, cùm haud ita pridẽ, antequàm ex hac hominum vita migraret, Annales Ingolstadiensis Academiæ succinctè conscripsisset; operæpretium se quoq; facturum sapienter existimauit, si non solummodo illorum nomina, qui Scholam nostram hactenus illustrârunt, simpliciter breuiterq; memoraret; verùm etiam cùm virtutes, tum dignitates eorundem explicaret fusiùs: Est enim Academia Ingolstadiensis, vt si qua alia in communi nostræ Germaniæ Patria, domicilium optimarum disciplinarum vltra centum annos longè nobilissimum atq; clarissimum, in quo rectissima studia & artes liberales prosperè semper effloruerunt, & homines omni virtute abundantiq; doctrina vixerunt ornatissimi.

His enim exquisitis Præceptoribus vsi, ex hac nostra Academia, tanquam ex equo Troiano, Principes viri, & plurima Christianæ Reipub. ornamenta atq; subsidia hucusq; prodiêrunt & etiamnum prodeunt. Verumenimuerò, vt nõ solùm præclara tantorum virorum nomina immortalitati commẽdarentur; sed & studiosa iuuen-

iuuen-

uentus ad huiusmodi virtutum doctrinaeq; specimina magis ac magis inflammaretur; bonus ille Rotmarus literatae Reipub. his à se inchoatis lucubrationibus fructuosè cōsulere voluit. Quicquid autem post immaturū Rotmari obitum, ego in hoc primo Almae Ingolstadiēsis Academiae Tomo accuratè fideliterq; absoluendo praestiterim, candidus Lector ex altera Praefatione & copiosiùs & manifestiùs intelliget.

ATQVI cùm, Ill.me Princeps, huic operi de Mecoenate dignißimo, sub cuius nomine ac patrocinio in lucem exiret, sedulò esset dispiciendū; nō potuit profectò tum à me, tum à Rotmaro adhuc in vita commorato, alius cogitari, qui maiore sibi iure nostros vendicaret labores, q̃ Ill.ma Tua C.do. Non tantùm enim ex lōgißimè remotis Lithuaniae terris Ill.ma Tua C.do, cum insigni Aulae comitatu & amplißimis sumptibus huc ad Boias Athenas profecta, summum Academiae nostrae splendescit ornamentū, sed etiam tum singulari clementiae & benignitatis & humanitatis inclinatione in optimas literas ac literatos spontè propendet; tum verò iucūdißimis Historiarum studiis mirificè oblectatur.

ACCI-

ACCIPE igitur, Princeps Ill.me hûc primum Almæ Ingolstadiensis Academiæ Tomum, in quo tot præclara & pietatis & virtutis & doctrinæ specimina ob oculos ponuntur; in quo vetustissima simul atq; nobilissima tua Familia, adeoq; egregia Ill.mæ C.nis Tuæ virtus, si non eleganter et copiosè, verè saltem ac breuiter describitur; in quo deniq; studiosa iuuentus clarissimis monumentis testatam cõsignatamq; intuebitur antiquitatem; et exempla præsentia vehemẽter admirabitur. Quòd si verò hoc, quicquid est mei laboris ac literati munusculi, tam excelso heroicoq; animo fortassis indignum videatur; oro quàm humilimè, vt Ill.ma C.do Tua, si non ipsam rem, quæ tamen honoris & ornamenti est plenissima, certè animum nostrum & voluntatem æqui boniq; consulat; ac Deum Opt. Max. summissè precor, vt Ill.mam Tuam C.nem, tum Ecclesiæ Catholicæ, tum Christianæ Reipub. saluam & incolumem diutissimè conseruet. Ingolstadij pridie Id. Nouemb. Anno 1581.

Illustrissimę Tuæ Celsitudinis

deuot. humil. Sacellanus

Ioannes Engerdus Turingus, Collegij
Philosophici pro tempore Decanus.

TRES COLVMNÆ,

In nomine ter Sacrosanctæ atque indiuiduæ TRINITATIS *positæ, & feliciter consecratæ*

TRIBVS LITHVANIÆ COLVMNIS,

ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS AC DOMINIS, D. ALEXANDRO, D. GEORGIO ET *D.* SIMEONI, *DVCIBVS* SLVCEN-*sibus & Copeliensibus,&c.*

VIVAT DVX

A	*ccipe, DVX, Regum ex*	*A*	*lto sate sanguine, prim*	*A*
L	*audum Opera, ô Regni*	*L*	ITHVANI, *ô Iustitiæ So*	*L*
E	*t Virtutis* HONOS;	*E*	*t opum dignißime salu*	*E*
X	ERXIS *& Historiæ*	*X*	*enophontis: Sit tibi feli*	*X*
A	VSPICIVM *Factis*	*A*	*tauorum extẽdere Fact*	*A*
N	*obilibus, priscóque*	*N*	*ouum superaddere Nome*	*N*
D	*et Vires* ANIMO	*D*	*eus: ast vnũ hoc precor illu*	*D*
E	*t cole rite* DEVM,	*E*	*t Musas: sapientia namqu*	*E*
R	ELLIGIOQVE *facit*	*R*	*egni insuperabile Robu*	*R*

Ab eodem Autore

M. IOANNE ENGERDO, P. L. &c.

ALIÆ TRES COLVMNÆ.

VIVAT DVX

G RANDIOR *ô natu,*	*G entis Pars prima,*	*G* EORGI,
E xcelsa, & nunquam	*E gregia* VIRTVTIS	*E gentis,*
O DVX *armipotens,*	*O culos huc dirige &*	*O ra:*
R ELLIGIONIS *opus*	*R ecta ne defere*	*R ectum,*
G loria quæ summa est;	*G entes dehinc rite*	*G uberna*
I MPERIO *assuetas,*	*I* VS *da Poscentibus*	*I llis;*
V iue, patremq; & auũ	*V irtute ac Nomine*	*V ince:*
S ic tibi semper Honos,	*S emper tibi* FAMA	*S uperstes.*

ALIÆ TRES COLVMNÆ.

VIVAT DVX

S auromatûm REGVM	*S alue sate sanguine Princep*	*S*
I nclyte Dux SIMEON,	*I* VRIS *pie Cultor & aqu*	*I*
M acte Animo forti,	*M oscum Turcamq; cruentu*	*M*
E xcinde, ô HEROS,	*E t* RELLIGIONIS *amor*	*E*
O ppugna SCYTHICAS	*O ras, Proauiq; mement*	*O*
N ominis exuperare	*N ouis virtutibus Ome*	*N*

F

PHILIPPVS MENZELIVS, MED. DOCTOR, ET APVD INGOLSTADIENSES PROFESSOR, IN HVIVS Operis editionem.

VLTIMA quum traherent fatales stamina Parcæ
ROTMARO: metamq́ dati venisset ad æui:
Nil ego, quod secum fert sors humana, recuso:
Spontè sequar, quò fata vocant: ait: vnica tantùm
Hæc adeò è viuis abeuntem cura remordet:
Est mihi, quod poscat Colophona, manumq́ supremam,
Cœptum opus, ingenij vario non absque labore:
Id magno Mecœnati, quem læta tulerunt
Secula, propitium Musis, & amabile Sydus,
SLVCENSIS Domino Regni (si vita fuisset)
Sancibam iamdudum animo, propriumq́ dicabam.
Nunc morior. Vos, qui viuum coluistis, amici,
(Quod precor, extremum est: finite hoc me posse precando)
Eia agite, ingenij fœtura hæc posthuma nostri
Auspicibus vobis perfecta in luminis auras
Exeat: & tanto sub Principe tuta quiescat.
Dixerat: annuimus dictis studium omne professi,
Omnem operam: dedimusq́ fidem: promptissimus vnus
Ante alios, veteris ne voto deesset amici,
ENGERDVS, Musis charum caput, obtulit ipse
Semet ad egregij cœpta absoluenda laboris.
At tu Sauromatûm Princeps sate sanguine Regum,
Inclyte ALEXANDER, animo dignare sereno,
Quicquid id est operis, tibi quod iam morte sub ipsa,
Laudis preco tuæ, ROTMARI lingua dicauit.
Vera per Aonios nimirum gloria montes
Quæritur: & Musas procerum decet esse clientes.

PRÆFATIO M. IOANNIS ENGERDI AD CANDIDVM LECTOREM.

CVm superioris initio veris, Candide Lector, M. Valentinus Rotmarus, P. L. & Eloquentiæ, in hoc nobilissimo literarum optimarum Emporio, Professor ordinarius, cuius piis manibus bene precamur, lecto affixus infirmissima conflictaretur valetudine, adeoque ob morbum quotidie magis ac magis ingrauescentem, supremum vitæ diem ipsamq; mortem sibi impendere facilè præsagiret; paucis antè horis, quàm ex hac demigrabat hominum vita, rogabat me prouidétissimè, vt primo Almæ Ingolstadiensis Academię Tomo, quem iam tum sub prælo & manibus habebat, extremam adiicerem manum.

EQVIDEM tum propter singularem nostram amicitiam & familiarem consuetudinem, tum communes humanarum miseriarum casus, amicissimo atque charissimo Collegæ, in præsentia clarissimorum virorum, Reuerendi D. Bartholomæi Scholl, S S. Theol. Licentiati, tunc Academiæ Prorectoris, iam verò Suffraganei Frisingensis, &c. ac D. Philippi Menzelij, Medicinæ Doctoris ac Professoris longè doctissimi, quos ambos mirificè amabat & colebat, animo libenti sum pollicitus, me, cùm quàm primùm plus otij suppeteret, (maturabam enim illo tempore Bambergam proficisci) id, quod à me tam diligenter petebat, obseruaturum sanctissimè, diligentissimeque facturum. Quo itinere ex animi sententia confecto, ego sanè promissis fideliter staturus, ad opus pertexendũ primo quoq; tempore me contuli: Erat aũt iam tum dimidia ferè primi huius Tomi pars typis excusa.

cuſa. Quare totius operis Methodum penitiùs aliquantò contemplatus, illam ex arbitratu meo (trahit enim ſua quenque voluptas) libenter immutaturus eram, niſi fuiſſet in ordine iam incepto neceſſariò mihi progrediendum.

VERVM enimuerò habuit procul dubio Rotmarus, vir præclara eruditione atq; doctrina ornatiſſimus, egregias ordinis inſtituti rationes: Nam prima in Parte Acclamationes ad Illuſtriſſimos Principes, Illuſtres Comites ac Generoſos Barones, qui eo tempore, cùm hunc laborem ſuſciperet, Academiam noſtram illuſtrabant, & plerique etiamnunc illuſtrant, tanquam ſingularia & ob oculos poſita Scholæ ornamenta, carminibus perfecit doctiſſimis, Hiſtoriam nimirum à Poëſi conſultò exorſus: Eſt enim Poëſi perquàm cognata Hiſtoria, & quodammodò ſolutum carmen, vt ſcribit Fabius Quintilianus, vir abundanti doctrina; idque adeò verum eſt, vt Liuius Autor grauiſſimus ab Heroico hemiſtichio hiſtoriam inchoârit. In Parte ſecunda perpetuos Academiæ Cancellarios, videlicet, Reuerendiſſimos Principes & Epiſcopos Eyſtetenſes, tanquam eos, à quibus ſumma literariorum honorum dignitas in Adoleſcentes, Iuuenes ac Viros bene meritos deriuatur, laudibus extulit maximis; Procancellarios verò Ampliſſimos, Principum illorum munere defunctos, ſaltem nominauit, ſuo poſtea loco digniſſimis eos laudibus ornaturus. In tertia, Fundatores Academiæ munificentiſſimos, nempe Sereniſſimos vtriuſque Bauariæ Duces, adeoque alios Principes Illuſtriſſimos, qui celeberrimũ hoc diſciplinarum optimarum domicilium præſentia ſua inſigniter colluſtrârunt, verbis celebrauit ampliſſimis. Quartam Illuſtribus Comitibus, Quintam Generoſis Baronibus, qui bo-

nis hic operam dederunt literis, ordinatè conſecrauit, Quinque illis Partibus nobiliſſimo loco natos complexis nobiliſſimum etiam Patronum quæſiturus. In ſexta Parte Reuerēdiſſimos Archiepiſcopos ac Pręſules, qui ex Schola noſtra laudabiliter prodierũt; neq; tamen omnes, ſed pauciores, vel ob anguſtiam temporis, vel eas etiam ob cauſſas, quas in Partis illius Præfatione ad Lectorem breuiter attingit, gloria & prædicatione efferendos putauit. Hoc autem mihi initiò mirum videbatur, quòd Eccleſiaſticis Principibus ſeculares antepoſuerit Proceres: Atqui re pòſt accuratiùs perſpecta, primum illum Autorem fortaſſis excuſandum opinor, quòd in hac Parte ordinem Academicum obſeruare voluerit: Pleriqve enim ij, nobili quidem genere nati, antequàm ad excelſum illud Epiſcopalis dignitatis faſtigium ſunt euecti, cùm fructuoſos Studiorum cultus hîc capeſſerent, Principes, Comites ac Barones in ordine meritò ſequebantur: Proinde Autor ſextam hanc Partem nobili atq; optimo viro D. Ioanni à Kienburg, Canonico Salisburgenſi, cuius ſingularis humanitas, pietas, virtus & doctrina clariſſimæ illi Familiæ verè innata, ſummos ſummæ amplitudinis honores dignè promeretur, amicè dedicauit.

HÆC autem ſexta Pars dum typis excudebatur, lucis hanc vſuram reddidit Autor, & bonis & doctis omnibus maximo cum luctu ereptus. Ego verò, quantum vel ſeueriores literæ, vel aliæ occupationes otij mihi tribuerunt, ad opus hoc continuandum potiſſimùm contuli, & pag. 85. à litera Y exorſus, reliquum ſextæ illius Partis atque integram ſeptimam Partem fideliter abſolui: Quanquam enim Rotmarus reliquos Epiſcopos breui percurrerat; ego tamen, cui vita & virtus illorum, præcipuè Pabebergenſis atque Paſſauienſis, multò fuit perſpectior,

addidi

addidi quàm plurima. In ſeptima quidem Parte Rotmarus pleroſq; Theologos ad præſentes vſque & adhuc viuos Theologici Collegij Profeſſores deſcripſerat; ego autem, tum quòd ille nondum ea correxerat, tum plura ego fueram expiſcatus, diligentem omnibus iis limam adhibui, & venerandos Societatis IESV Theologos interpoſui Doctores: Cætera, in quibus præſens Theologica Facultas commemoratur, atq; digniſſimis effertur laudibus, à vita D. Procancellarij Alberti Hungeri ad finem vſq; primi Tomi, omnia mea ſunt. De hoc tamen, amice Lector, te ſimul commonefaciẽdum exiſtimo, quòd carmina, identidem admixta, ex Annalibus Ingolſtadienſis Academiæ ab eodẽ D. Rotmaro antè conſcriptis, pro eo ſanè atq; ipſo priùs cœperat, cogitatò fuerim mutuatus.

QVICQVID igitur laboris & conatus in hoc opere præſtiti, candide Lector, vt æqui boniq; cõſulas, te etiam atq; etiam vehementer rogo; mearũ namq; fuit partium, inchoatam pertexere telam. Quòd ſi verò noua tela fuiſſet à me contexenda, aut vetus illa retexenda (ſed hoc pace piorum doctiſſimi D. Rotmari manium dixero) eam fortè Methodum eram obſeruaturus. In prima Parte optimos Fundatores, benigniſſimos Auctores, Conſeruatores fideliſſimos, atq; Propugnatores Almæ Ingolſtadienſi Academiæ & eiuſdem immunitatũ ac priuilegiorum magnanimos, Sereniſſimos nimirum vtriuſq; Bauariæ Duces, tanquam validiſſimas Boiarum Athenarum columnas, eram deſcripturus. In ſecunda Eccleſiaſticum noſtrum Magiſtratum, perpetuos Ingolſtadienſis Academiæ Cancellarios, Reuerendiſſimos Pontifices Eyſtadianos & eorum vicem ſuſtinentes Procancellarios Ampliſsimos: In tertia Magnificos Vniuerſitatis Rectores, vt præclara Senatus Academici lumina: In quarta, Patres

tres Academicos & celeberrimos quatuor Collegiorum Professores, qui alteri quasi Parentes atque Educatores non quidem corporum, sed ingeniorum & sapientiæ, tot excellentissimos omniq; virtute & doctrina clarissimos filios Ecclesiæ Catholicæ & Christianæ Reipublicæ, tum recta institutione, tum verò rectis exemplis genuerunt. Reliquas Partes Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Principibus, Comitibus, Baronibus, Abbatibus, Prælatis & Canonicis Ecclesiarum; Quin & Theologis, Iureconsultis, Medicis, Philosophis, aliisque præstantissimis viris, qui ex hac Parente fidelissima, Ingolstadiensi Academia, tanquam ex equo Troiano, prodierũt, ex ordine debito eram consecraturus; Annalium denique & Actuum monumenta Colophonis loco additurus.

QVOD superest, syncere Lector, te iterum atque iterum rogo, vt si quid fortassis in hoc primo Tomo vel erratum, vel neglectum vel omissum fuerit, in meliorem interpreteris partem; nam non omnia possumus omnes, nec aliquis omnia in tam breui temporis spatio peruidere potest. Enitar autem sedulò, DEI Opt. Max. benignitate aspirante, vt secundum Tomum, qui Iureconsultos, Medicos, & Philosophos, quantum operis magnitudo patietur, ex ordine cõtinebit, elaboratior quàm primùm in lucem exeat. Interim bene vale, ac si qua in Patte honestos meos conatus iuuare potes, haud grauatim iuua. Ingolstadij ex meo Musæo, prid. Cal. Dec. Anno 1581.

ACADEMIÆ

INGOLSTADIANÆ TOMI PRIMI PARS PRIMA, QVAE EST Acclamationum.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM AC DOMINVM, DOMINVM PHILIPPVM MARCHIONEM BADENSEM, ET COMITEM IN SPANHAM, &c.

SI suus æterna nec honos, nec gloria laudi
Deperit, & seros durabile nomen in annos
Transmittunt, quicunq; piis extendere factis
Virtutem potuere suam: seu vulnera passi
Pugnando ob patriam; sacras tutarier aras
Templaq; culta Deûm, & saluos voluère penates,
Atque laborantes cum Diis seruare parentes,
Seu primi inuentas vitam excoluere per artes
Autores, siue optatum mortalibus vsum
Monstrârunt Cereris, fæcundaq; munera Bacchi:
Denique qui memores alios fecere merendo:
Quantus honos illi? quod nomen & ardua semper
Gloria? qui truncis & duro robore natos
(Heu genus indocile & rigidis in montibus errans)
Composuitq; homines primus, moresq; virisq;

Instituit leges: communes condidit vrbes
Edocuitq; Deos, & Apolline digna locutus?
Magna quidem, fateor, nec quæ satis vllius ore,
Andiniue queant laudari carmine vatis:
Vnde sibi æternam pepererunt pristina laudem
Secula, & æthereos inter, pia numina, Diuos
Asciti plures, numerumq; auxere Deorum.
Hæc tamen exigui fuerant casura valoris,
Adq; suos quondam rediissent tempora mores,
Et primum vitæ cultum: iam ciuibus vrbes
Vidisses vacuas, hominesq; errare per altos
Nunc iterum montes sine moribus, & sine cultu,
Ni; quibus æthereî sapientia numinis alma,
Et bonitas immensa DEI *dabat altius omni*
Exerere ingenium; quo suis expendere casus
Cœpissent, & venturos spectare nepotes.

Academiæ cur institutæ.

Ergo suo æternum vt Respublica staret in æuum
Robore, nec vitæ communio tanta periret,
Imbiberentq; datas leges, moresq; minores,
Instituêre locos, sed non sine numine, sacros,
Hic vbi perpetuò vigeat custodia legum,
Et morum disciplina & pia regula vitæ.
Non aliter, quàm Romulea rex alter in vrbe
Æternum voluit seruarier ædibus ignem:
Quiq; ea monstrarent, superimposuêre Magistros,
Ingenio, magnosq; animo, virtute potentes,
Conspicuos pietate viros, probitate, fideq;
Atq; graues annis: quibus vnica cura iuuentam
Effrenem cohibere foret, rectumq; docere.
Scilicet in culpam facilis via, nec datur vlli
Penè homini in medio rectà persistere cursu,
Cùm semel effusas vitio laxârit habenas.

Ceu

Ceu ruit auulſum montis de vertice ſaxum,
Seu vis impulerit, ſeu multus proluat Imber,
Nec potis eſt, vires quando acquiſiuit eundo,
Mole per abruptum cautes & pondere tendens,
Siſtere præcipitem, medioq́ abrumpere curſum.
Quis tamen ille locus? quæue hæc cuſtodia morum?
Quodúe penu tam diues opum, cornuq́ beatum?
Si libet antiquas Muſarum audire paleſtras,
Húc ades, Actæas atque intueamur Athenas,
Socraticamq́ domum, clarumq́ Platone Lycæum,
Gymnaſiumúe, graui quæ nobilis ære, Corinthi.
Sin propria petis, nec te tam diſsita longùm
Regna iuuant, tibi pro cunctis Germania terris
Sufficiat, quasq́ Auſtriaci ſtatuère Monarchæ,
Bauaricæúe ſcholæ, & non infima gloria vatum
Vrbs INGOLSTADIVM, *ſacris domus inclyta Muſis,*
Quam colit ipſe DEVS, *vatum qui Præſes, Apollo;*
Hic videas & Ariſtoteles, doctosq́ Platones,
Et radio totum deſcribere gentibus orbem
Penè ſenem, cœliq́ ignes numerare micantes.
Hic quoque lethiferos tractare Machaona morbos
Aſpicias, medicamq́ docet Podalyrius artem:
Iuſtitiæ Baldus tenet; Auguſtinus honorem
Relligionis habet: ſed quis tam carmine cuncta
Explicet illa breui? latum percurrere campum
Eſt opus, & totam ſeriem pertexere vatum.
Salue INGOLSTADIVM, *mihi tu domus inclyta ſalue,*
Saxonicis quondam bellis clariſsima: ſed nunc
Muſarum portus, locus ô gratiſsime Phœbo!
Illuſtres ſaluete animæ, quibus ardua ſemper
Muſarum fuit, & morum pia cura bonorum,
Et vos, qui noſtras quondam illuſtrâſtis Athenas,

Academiæ Græcorum.

Ingolſtadium.

Principibus, Ducibusq́; sati: quorum interit æuo
Gloria non vllo: dum Mecænatibus almæ
Florebunt sub Princibus (ceu credere par est,
Et sperare licet) Musæ, & pia carmina vatum
Grata diis fuerint, validisq́; Academia neruis
Dum steterit, perq́; ora virûm mea scripta volabunt!
Tu tamen ante alios nostra non infima quondam
Gloria lausq́; Scholæ, & patrijspes inclyta regni,
Hûc ades ô Princeps (si non mea carmina sordent)
MARCHIO, & incepto mecum succede labori,
Vt de te paucis decurram versibus, & te
Si faxint superi, æternum mittamus in æuum.

Verona Italiæ, vnde Marchiones Badenses oriundi.

Est locus, Italiæ toti notissimus orbi,
Scaligeri tenuere Duces; seu pristina dixit
Ætas hosce Canes: auri ditissima fului
Nunc tenet & duris Venetûm gens inclyta bellis.
Ante tamên cunctos, retrò numerantibus annis
Pluribus, obtinuit proles Patauina Veronam.
Ex hac Ausonio (sic transmigrare priora
Secula viderunt gentes: incultaq́; quondam
Cœperunt loca ritè coli, latumq́; per orbem
Constitui regna & numerosæ condier vrbes
Exauctis populis) magno turbante tumultu,
Sponte sua cessêre solo, sibiq́; extera regna
Quærere constituunt, sedesq́; parare quietas.

Marchiones cõdunt Badenam.

Deuenêre locos, calidis vbi plurimus vndis
Fons ruit, & multis fert commoda pharmaca morbis.
Nec procul inde suos voluit cum murmure fluctus
Rhenus, Teutonidum fluuius regnator aquarum.
Exposcunt veniam, sedes & mœnia ponunt
Vallibus in mediis, altisq́; in collibus arces,
Concessosq́; sibi latùm dominantur in agros.

Sunt

Sunt tamen, eductos Italis qui rentur ab agris
Auxilio FEDERICE *tuo, qui nominis eius*
Primus eras Cæsar, cuius fuit obsidis instar
Italiæ HERMANNVS *natus de stirpe Veronæ*
Marchio: sed primus tamen hic ad flumina Rheni
Possedit terras, circumq; iacentia regna,
Obtinuitq; prius iam tum quoque nomen honoris.
Hæc est prima tuæ, PRINCEPS *clarissime, gentis,*
Per multos deducta viros, atauosq; potentes,
Et longa annorum serie, gestisq; superba,
Quicquid & ingenuas stirpes illustrat, origo.
Hæc ad virtutes maiorum instigat auorum
Maiestas, nec iam patitur torpescere gentis
Diua domus, primusq; tui te sanguinis ortus.
In te igitur veteris resident vestigia laudis,
In te Badena & domus inclinata recumbit,
Te colit & seris canescere poscit in annis,
Pro te vota facit, Superûm indefessa parentem
Sollicitat precibus, tua iam per regna renascens
Sub te Relligio violatas Principe vires
Nunc iterum reficit, terraq; triumphat in omni.
Nascere, prisca fides, & nascere, dixit auita
Virtus, ô Princeps, cùm te videre, tuosq;
Tueris populos sub relligione parentum
Antiqua, veraq; fide: tibi cuncta secundis
Sic, CHRISTO *voluente, vehet fortuna quadrigis.*

Alia de Marchionibus opinio.

Hermãnus Marchio veronensis, Badensium autor.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM AC DOMINVM, DOMINVM GEORGIVM LVDOVICVM LANDGRAVIVM IN LEVCHTENBERG, & COMITEM in HALS, &c. singulare ACADEMIÆ INGOLSTADIANÆ decus & ornamentum, &c.

TV quoque, qui nostri magna cum laude Lycæi
Gessisti nuper, Princeps mitissime, fasces,
Nomen aui, Princeps, referens, nomenq; parentis,
Quiq; animum geris ante annos, sensusq; viriles,
Illustrare, precor, Boias digneris Athenas,
Et nostris iam nunc votis assuesce vocari.
Non tibi displiceat, quamuis sit rustica, Musa
Nostra, nec Andinum sapiat malè docta poëtam;
Nec tamen à prima pertexere origine stirpem
(Maius opus nostris humeris) laudesúe parentum
Molior: Auditis etenim vix credere tutum,
Nec sunt fida satis, quæ postera prodidit ætas,
Te tantùm paucis (quis enim tua munera fando
Explicet & dotes Princeps? siluisse nefandum
Omnino scelus esse tamen reor) alloquar heros.

Nordgoia apud Nariscos, pars Bauariæ.

Est regio, quondam Boiæ pars altera terræ,
Istriades vltra lymphas, quà regna Bohema
Vndique spectantur densis horrentia syluis;
NORDGOIAM *dixêre patres, dixêre* NARISCOS,
Nunc quoque nomen habet, rigido ditissima ferro,
Atque aliis, tellus quæ procreat alma, metallis:
Hic vbi sed lentis vrbes Nabus alluit vndis
Et fœcundat agros, pòst immittendus in Istrum,

Haud

Haud procul aëriæ iacet hinc validissima rupi
Imposita arx, veterum monumentum nobile patrum,
LEVCHTENBERGIADIS sedes pulcherrima stirpis
Quondam, nunc genti cognomina sola relinquens.

Leuchtenberg arx in Nordgoia.

Prima tamen, veterum ni me monumenta parentum,
Ni me posteritas, & nostra recentior ætas
Vatem decipiant, est Norica stirpis origo
LEVCHTENBERGIADIS: bene si modo lecta recordor.

Origo Leuchtebergensium.

Marcha iacet rapidum, terra haud ignobilis olim,
Nunc quoque VOHBVRGI (nostri dixère parentes
Nomine VOITBVRGVM) retinens cognomen ad Istrum,
Et COMITES tenuêre solum: postquàm inuida gentem
Nulla prole virûm tulerat fortuna relicta,
Quæcunque est Istro tellus contermina, & ipsum
VOITBVRGVM, sedes COMITVM iam cedit auita
Bauaricis Ducibus. Comitum sed Norica Burgi
Voitlandos fertur gens obtinuisse colonos,
Cæsaris indultu: Proceres Chamabinà sed illos,
Inter ADALRAMVS, maiorq; ALBERTVS adepti
Mœnia: & hæc quidam vestræ primordia stirpis,
LEVCHTENBERGIADIS Princeps spes vnica gentis,
Mutatosq; domus titulos & nomina rentur.

Adalramus & Albert. Marchiones Vohburgenses facti comites in Cham, vnde Leuchtengenses orti.

Sunt tamen, Vngaricos qui dicant stemmatis ortus,
Turingo Vngarica commisto sanguine genti.
Suntq; alij, stirpem quibus hanc placet esse Bohemam,
Annorum verùm hæc series incerta relinquit,
Auditisq; fides subseris deperit annis.

Aliæ de origine Leuchtenbergẽsium opiniones.

Multa patrum virtus veterum, multusq; recursat
Gentis honos vestræ: Cereris domus inclyta, & almæ
Bacche, sub auspiciis cuius vindemia plenis
Sæpe labris spumat, tua regna atque vna voluptas,
Nobilis agnouit Comites Alsatia terræ,

Landgrauius.

Et quæ diuitiis nimiis Argentina superbit,
Præsulis ipsa pedum vidit, sacramq́; Tyaram
CONRADVM, atque iterum vidit labentibus annis — Côradus Leuchtenbergensis & Episcopus Argentoratensis.
Ferre eadem IANVM, natos de sanguine eodem. — Ioannes itidem Episcopus Argẽtinensis.
Vidit &, à dura cui sunt data nomina quercu,
Vrbs FEDERICE tuos, neque enim sine numine, fasces. — Fridericus Episcopus Aichstadianus.
Vidit & Abbates diues Franconia sacros,
Quin & ADALRAMVM veterum meminere potentem
Scripta virûm bello, regem pro Principe contrà
Boiorum HENRICO & turmas pugnâsse Boëmas — Adalramus dux militaris.
Austriacumq́; Ducem: quid postera viderit ætas,
Non ego nunc refero: tantis heroibus ortus
Et tanta de stirpe satus, virtutis egente
Non vnquam, es, Princeps, non vnquam indignus auorum,
Ipse etiam virtute legis vestigia patrum,
Iam nunc prima æua tenero sub flore iuuentæ.
Et quis enim excelsam iuuenili in pectore mentem — Georgius Ludouicus Landgrauius Princeps eloquens.
Non admiratur? quas non sermonibus aures
Perstringis Princeps? Latio quando ore necessum
Dicere? Sin lingua fandum quandoque paterna,
Non exhorrescis, tua nec timor ora retardat
Germanis coram Ducibus: Si Cæsaris ante
Est opus ora loqui, fas est quoque credere, præter
Dictūrum ætatem pariter fœlicibus annis;
Omnia magna tibi: venientibus auguror annis
His maiora etiam; nec me præsagia fallunt,
Nec valet ingnatis virtus torpescere patrum,
Nec generat timidas ales Iouis alma columbas.
Macte igitur Princeps, magnum decus addite Musis
Bauaricis, nostræq́; Scholæ, lætæq́; iuuentæ.
Macte heros, patriumq́; olim virtutibus orbem
Ipse rege, & pulchris nomen fer ad æthera factis

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM AC DOMINVM, DOMINVM ALEXANDRVM DVCEM SLVCENSEM ET Copeliensem Lithuanum &c.

TENE ego praeteream, Lithuana è gente profecte,
Atque Iagellonÿ decus haud ignobile regni?
Non, ita me seruet caelestis Iupiter, ausim
Transiliisse tuas, Princeps, sine crimine laudes.
Et memini, nuper cùm dextram tangere dextra
Concessum nobis, propriisq; assidere mensis
Me velles, laterique latus coniungere dextro,
Heu, quibus indiciis iam tum se prodere virtus
Incipit illa tua & spe nos implere benigna?
Nunc etiam ante oculos volitant conuiuia nostros
Illa eadem: resonant doctis nunc vocibus aures,
Quas tunc antiquo de Relligionis honore
Miscuimus, dulci tempus sermone trahentes.
Est DEVS *in nobis, bona credimus vnde venire*
Omnia: qui mentes & nondum obsessa fatigat
Fraudibus & laqueis nimiùm miserabilis Orci
Corda hominum, sanosq; pio sub pectore sensus
Excitat, inspiratq; animos, atque annuit ausis.
Haec erat, haec semper, Princeps, sententia matri,

Causa profectionis Ducis Alexādri in Boiariam.

Nec, reor, aetherei stabat sine numine caeli,
Fixa tuae, posset quò te quoque reddere luci,
Ex foedè ereptum patriam obscurantibus vmbris,
Verus vt incolumi, vetus & te vindice florem
Relligionis honos Lithuana per arua priorem
Paulatim acciperet: non illa oblita salutis,
Non animae fuit illa tuae, securáue regni
Heu patrÿ genitrix, eaq; vnica cura recursans

Sæpius insomnem tenuit sub nocte parentem.
Deuotum muliebre genus: Regina Deorum
Anchora & humanæ veneranda Ecclesia portus,
Deuotum, & Christo, & Diuæ commendat amicis,
Quas intermedias pro rebus fundere nostris
Credimus assiduè, charoq; insistere gnato,
Illa parens MARIÆ precibus, meritisq; benignis.
Hæc mens illa fuit, Boias cùm nuper in oras,
Imperium in magnum, & fidei haud ignobile asylum
Te veteris iubet ire parens, & fortia iunxit
Corda virûm, comitesq; viæ, sociosq; laborum
Addidit illa tibi, Princeps: velut obuia nobis
Permulta occurrunt alia ingredientibus arua.
Fœlix illa parens, gnato fœlicior illa
Sed longè tali: sed fœlicissima cur non
Est eadem dicenda mihi, cui pectore sensus
Tam pius insurgit? cui non genuisse parenti
Sat visum corpus, ni, qui præstantior ipsis
Artubus, eximiis animum virtutibus almum
Imbueret, veramq; fidem, verosq; doceret
Diuorum cultus: heu quàm pia cura parentis.
Nec verò ad Boias fuit illa profectio terras
Incassum suscepta tibi, dignissime Princeps.
Nec matrem, gessit quam pro te, cura fefellit.
Ecce etenim nuper Bauara transmissus ab vrbe,
Iam nunc optata maternas nuncius aures
Personuit fama: quis sensus, talia quando
Audierit genitrix, quæ te noctesq; diesq;
Cogitat, & tela curas solatur aniles
Et gnati desiderium? quæ pectore voluet
Gaudia læta suo? nostri nouêre penates,
Testis & est omnis Boiorum Principis aula.

Te veniam petere & veniam impetrare petitam
Schismatis, atque iterum CHRISTO, *matriq́ Sioni*
Restitui & vero sacrato à Præsule ouili.

Nec tua sed, Princeps, laus est hic parua: parentum
Ardua quem virtus & auunculus excitat Hector.
Tenzina taceo (nimium ne carmina longas
Forsan nostra moras faciant) gesta inclyta gentis.
Imperij quondam sceptrum Lithuana Poloni
Vngaricumq́ solum, magnus quod perluit Ister,
Gens, IAGELLONVM *& nati de stirpe minores*
Rexerunt: Frater patriis VVLODIMIRVS *in aruis*
Imperium tenuit; quantum Lithuania tantis
Vindicibus quondam sese extulit: Ille Polonis
Autor erat: gentis VVLODIMIRVS *origo paterna*
Sed tibi: Sanguis vterq́ idem, & patre natus eodem.
Tu tamen, ô IAGELLO *prior;* VVLODIMIRE *secundo*
Huic succede loco, & vatis ne respue Musas
Boiarici: Nam summa sequar fastigia rerum.

Nulla fides humanarum & constantia rerum
Perpetuaq́ vices mortalia cuncta gubernant;
Et iam regna vigent, eadem iam clade perire
Heu tristi aspicimus rursum: iam surgit in altum,
Vt lapsu grauiore ruat, moritura vicissim,
Ex humili gens natá loco multosq́ per annos
Regna tenent, regna acquirunt, augentq́ Monarchæ,
Siue ea parta dolo, seu sint virtute parata;
Iamq́ iterum augusti toto cum sanguine reges
Intereunt, pubemq́ cupit fera parca virilem.

Sic etiam regno proles iam nulla Polono
Mascula: sed patrias seruabat filia sedes
Vnica & imperij fasces HEDVVIGIS *habebat.*

Lithuani desce. dentes ab Iagellone imperarũt Poloniæ, & Vngariæ.

VVlodimirus frater Iagellonis, à quo Dux Alexander descendit,

Omnium rerum perpetua vicissitudo.

Regnum Poloniæ caret successore virili. Hedvvigis heres regni Poloniæ.

Protinus it magnas Lithuani fama per vrbes
Imperij, atque nouo proceres sermone replebat.
Audiit hunc, fratres inter qui maximus æuo,
Nec longas IAGELLO *moras trahit: Ille puellam*
Cum regno petit, & Sponsæ rerumq́; potitur.
Nondum terra DEVM *verum Lithuana colebat,*
Sed Syluas alij, aut rutilum pro numine Solem,
Serpentes ignemq́; alij venerantur amicum.
Ergo vbi iam voti compos IAGELLO *Polonum*
Ingreditur regnum, sacro sese ilico fonte
Lustrari petit, & patrias lustratus ad oras
Non ita post multò comitante reuertitur heros
Coniuge, maius opus secum sub pectore voluens.
Mazouiæ quem Dux & relligiosa virûm vis
Multorum sequitur: sacrarum haud inscia rerum:
Nec mora, tamq́; pium factum fortuna secuta est,
Et Lithuana fidem pubes Christi accipit omnis.
Ipse sed antiquis IAGELLO *numina fanis*
Falsa iubet migrare procul, & destruit aras
Infaustas, idôla ruit, syluasq́; tremendas
Excindit, necat ipse angues, igniq́; nefando
Restincto reditum diris erroribus omnem
Præcludit: Christo & superis solennia condens
Mœnia: quin etiam VILNÆ *iubet esse Cathedram,*
Supremamq́; aram, quæ custodiuerat antè
Perpetuos ignes: rebus sic ritę peractis
Cum fratrem patriis dominum præfecerat oris,
Ad sua regna redit victor, proceresq́; Polonos.
Illius inde etiam sacras CRACCOVIA *Musas*
Auspicio accepit: quod deseruere priores
Tentatum antè sibi: neque enim sors annuit ausis.
Huic VDALISLAVS *gnatus,* CASIMIRVS *at illi*

Iagello matrimonium init cum regina Poloniæ.
Numina Lithuanorum.
Iagello Rex Poloniæ fit Christianus & Baptisatur.
Redit in Lithuaniam, eamq́; ad fidem Christianam conuertit.
Destruit Deorũ Ethnicorum tẽpla, aras & idôla.
Noua templa cõdit.
Cõstituit Vilnæ Ecclesiã Cathedralem.
Erigit Academiã Craccouiæ à Casimiro secundo inchoatã quidem antea, sed intermissam.
Vdalislaus & Casimirus tertius fratres & Iagellonis filij.

Succedit

Succedit frater: sed postera desiit aetas,
Sublato AVGVSTO, *Lithuana è gente profectis*
Parêre atque alia est Soboles inuecta Polonis.

Iagellonis prosapia desiit apud Polonos in Sigismūdo Augusto.

Quid referam Vngariam & fului faecunda metalli
Regna? VDALISLAVS *sceptrum tenuisse Polonum*
Vngariamq́; simul, quaeq́; est circundata syluis,
Tellurem, mediis positam Germanidos agris,
Dicitur: heu patriis sed enim LVDOVICVS *habenis*
Succedens, fatis nimiùm infelicibus orbem
Accipit Vngaricum, misera quia morte peremptus.
Hac IAGELLONIS *domus atque augusta propago*
Omnis erat, virtute potens, atque inclyta bellis.

Vdalislaus filius Iagellonis Rex Poloniae, & Vngariae, & Bohemiae.
Ludouicus filius Vladislai Rex vngariae occiditur in pugna.

Quin etiam Austriaci, genus alto à sanguine Troiae,
Sub quibus Ausonium totos regnatur in annos
Iam nunc tercentum imperium, Lithuana beârunt
Coniugia, & CASIMIRE *tuos satiauit amores*
Rex Romanorum, Friderici Caesaris ante
Imperium ALBERTVS *qui Teutona sceptra Monarcha*
Gessit, & Austriaco natus de sanguine: namque
ELISABETHA *thorum patris, fata rege, iugalem*
Consensu est ingressa tuum, multaq́; beatum
Prole virum fecit, regesq́; Polonia natos
Inde sibi adsciuit plures, dum cerneret ire
Tandem Iagellonis pessum Craccouia gentem,
Nec sibi iam prolem gemeret superesse virilem.

Affinitates familiae Iagellonicae.

Casimirus Dux magnus Lithuaniae & Rex Poloniae ducit coniugem Elisabethā Austriacam Alberti regis Romanorum filiā.

Hos super & Boio coiit cum sanguine Sanguis
Rex Casimire tuus: Boias qui primus Athenas
Constituit, Musasq́; suam traduxit in vrbem,
HEDVVIGIN *Princeps fuerat quae maxima natu,*
ELISABETHA *tuas inter regina puellas,*
Despondit gnato: thalamo dignatus eandem est
Diuitiisq́; potens, sacrisq́; Georgius alter

Hedvvigis Lithuana nubit Boiorū Duci Georgio.

A patre Mecœnas studiis, & pace superbus,
Cuius adhuc super in Boio monumenta Lycæo
Egregiæ fidei & constructa palatia Musis,
Quæ Ducis autoris traxere à nomine nomen.
Et quid ego ditis pertexam Saxonis oras,
Et veterem Marchamq; nouam, terraeq; potentes
Illius dominos, Lithuano è sanguine cretos?
Sat iam sed patruos cecini, serosq; nepotes,
Nunc ad auos, atauosq; tuos primosq; parentes
Tandem verte oculos, atque hunc quoque magne laborem

VVlodimirus Iagellonis frater parens Olielec-konis, Dux Slucensis & Copeliensis. Olieleckro vocat⁹ in Baptismo Alexander.

Aspice ALEXANDER *Princeps*: IAGELLO *parentis*
Frater erat: non ille minor, siue aspera Martis
Arma velis, seu quicquid habet pax nobilis artis
Ingenuæ, VVLODIMIRVS *erat, quo Principe natus*
Ollieleckho fuit, cuius Slucensia sceptro,
Imperium patribus sic distribuentibus, arua
Parebant subiecta: illo satus ipse MICHAEL,

Simon Alexandri filius, turcarum 12000. fudit.

Cui studiis belliq; SIMON, *& pace superbus*
Gnatus erat, pectusq; gerens animumq; virilem
Ante annos, qui Turcarum ter millia fudit
Quattuor, & patriis pacem Dux reddidit agris.

Simonis filius Georgius auus Principis Alexādri.

At nunc magne tuus sequitur recto ordine Princeps
Dulcis auus, pietate ingens, virtutibus ingens,
Nec minor aut opibus durisue GEORGIVS *armis*
Quàm genitor fuerat: quis enim, quia fama superstes,
Nunc etiam illius fortissima prælia dextræ

Strauit Tartarorum 24000.

Nesciat? heu sumptis quantum insurgebat in armis,
Cùm quater ille virûm patrij sub finibus amnis
Sena dabat, iustæ stimulis vrgentibus iræ
Millia fusa neci? quantum se gloria tantis
Extulit alma Ducis rebus, cum strata iacebant
Corpora, tartaricoq; fluebant sanguine campi?

Ille

Ille paternus auus magnis super æthera factis
Notus, & æternum nomen qui misit in auum,
O Princeps: Genitorq́; tuus patre natus eodem,
Haud vnquam Genitor tantorum indignus auorum,
Nec virtutis egens, nec patre GEORGIVS *ipso*
Inferior, gazisq́; potens, & prole beatus
Ille parens terna: quanquam non passibus æquis
Assequitur fratres, vita tua dignior ætas
Longæua Princeps: te gaudia tertia nato
Attulerat genitrix, enixa puerpera, patri,
Nec terra vlterius domino, coniunxúe marito
Est lætata diu: cæli accepêre parentem
Et superi æterna defessum in pace locârunt.

Georgius secundus parens Principis Alexandri.

Genuit tres filios.

Ecquis adhuc patria, Princeps, virtute nepotem
Te exciri dubitet? longa tibi nobilis ortus
Annorum serie est: bellis & pace superbi
Maiores, qui se pulchris virtutibus ausi
Tollere humo: qui nobilibus gente altius omni
Exeruêre caput factis, regnisq́; potiti
Diuitiisq́; viri: tua stirps connubia regum
Teutonidumq́; Ducum, Princeps, augusta petiuit,
Quiq́; tua primus (res admirabilis) autor
Gentis erat cum fratre suo, Duce natus, auitam
(Illustres heu illæ animæ, par nobile fratrum,
Ingentes factis, clarisq́; nepotibus ambo)
Ipse IAGELLO *fidem accepit, cultusq́; Deorum,*
Ceu nos edocuit Romana Ecclesia gnatos,
Et pia seruat adhuc: feri rapuêre sed illos
(Dux IAGELLO *fuit) Lithuana per arua minores.*
Hanc quoque tu nuper (tanto haud indignus amico,
Nec pietatis egens) spectante professus eandem es,
Boiorumq́; fidem duce Principe & auspice Princeps,

Iagello Dux magnus Lithuaniæ Christianam fidem in Lithuaniam primus intulit.

Quam

Quam colit ipsa parens, coluitq́; IAGELLO, Poloni
Imperij rector, voluitq́; nepotibus esse
Illam vnam curæ, superis cum mœnia Diuis
Sacratis ablutus aquis, & conderet aras.
Sed iam ducturus defessam ad littora cymbam,
Supremamq́; manum Boiis placet addere Musis,
Si te iterum, Princepsq́; iterum hoc patere antè moneri,
Dum mihi remigium, dum perflant carbasa venti;
Nec tibi diuitiæ, nec abundans copia rerum,
Nec patrij populi, nec sit Lithuania tanti,
Quàm sit auita fides, Diuûmq́; ante omnia cultus,
Sis IAGELLONIS non immemor, atque parentis
Sis memor ipse tui, memor & sis nominis heros;

Nomen Alexandri quid significet.

Nomen ALEXANDRI Superi tibi nanq́; dederunt,
Rebus & omen inest, sua sunt etiam omina sæpe
Nominibus: Medicina tibi contra omne venenum
Et virtus (nam rite viros decet inclyta virtus)
Imposuit nomen Princeps: nos credimus esse
Hæresiũn virus, stygiis quo se extulit vndis
Sæuior haud pestis, latùm quæ serpsit in agros
Heu patrios, populosq́; tuos, veteremq́; Deorum
Obscurauit ouans cultum & pietatis auitæ,
Mentibus infectis, meritos aboleuit honores.
Ergo fides, Princeps, super omnia semper auita
Sit cura tibi, sitq́; animus, sitq́; vna voluptas,
Relligionis opus cunctis defendere neruis.

Apostrophe ad Ioannem Dzierzekium aulæ præfectum.

Quod tamen vt faciat Princeps, pars magna laboris
Iane tui fuerit (modò si mihi Iane licebit
Fine sub extremo te affari carminis: at te
Quis vetet alloquier?) decus indelebile gentis
Dzierzekiæ, lætos cui morum candor honores
Afflat, & ingenuæ charites sua munera fundunt,

Gratior vt tali veniens è corpore virtus
Sit cunctis, & cunctorum mereatur amorem.
Perge igitur, quibus inceptum, fœlicibus ausis,
Ipse tuo exemplo, cui vis est maxima semper,
Ad veterum placita alma Patrum, sacraq; Sionis
Inflamma, monitisq; Ducem, sociosq; domumq;
Dirige, quaq; opus est, surgenti occurre periclo.
Nam meliora sedens Diuos frustra omnia poscit.
At tibi viuacis, Princeps, Dÿ secula cerui,
Et dent imperium tristi sine nube quietum,
Magnus eris, Princeps, hoc si contenderis vnum,
Αἰὲι ἀριστεύειν, καὶ ὑπέροχον ἔμμεναι ἄλλων,
Quod facis, vt facias, teq; ipsum imitere, precamur.

AD ILLVSTREM VEREQVE GENEROSVM DOMINVM, DOMINVM OTHONEM COMITEM IN MANSfeld. &c.

SI tibi Boiarides, Comes ô doctißime, Musæ,
Carmina nec vatum, nec Præses sordet Apollo,
Siq; est Principibus iungi decus, atque virorum
Tantorũ in numero esse iuuat, precor, annue votis,
Et mecum inceptum (nec erit mora longa) laborem
Decurrens tenues non aspernare camænas.
Sed quid erit primum? quidúe ordine diua secundo
Musa canes? Generisne ortum, proauosq; patresq;
Et bellis & pace viros opibusq; potentes?
Ingeniumne priùs, quæ sunt propiora, sequamur,
Et tua tota Comes, Phœbi exhaustosq; labores
Musarum in castris, augustæ insignia laudis?

Est regio Hercynios vltra notissima montes,
Qua Sorabos spectant, atque ISLEBIENSIA rura,
MANSFELDVMq́; vocant regionis ab vrbe Coloni
Mansfeldo: Islebium primas tamen obtinet vna
Vrbs inter cunctas, decus haud ignobile terræ.
Hic MANSFELDORVM comitum gens inclyta sedem
Perpetuam sedis fertur posuisse vetustis.
Quin etiam Gallos inter pars vna rebelles,
Gentis habet sedes, Mosamq́; interq́; Mosellam,
Quos primo effundit Vogasius penè vnus ab ortu,
Et procul ad Treuerim & Tungrensia mittit in arua.
Hac ego te GEBHARDE reor de gente profectum
Pontificum septem sacris de sedibus vna
Cui data Teutoniæ, quam plenis alluit vndis
Rhenus & occiduas pater inde vocatur ad oras.
Hac etiam de stirpe satus, virtute superbus
Qui meruit nuper sub rege stipendia Gallo.
Gens augusta toga & duris asperrima bellis
Virtutumq́; aliis quia claruit ornamentis
(Parua nec ad laudes illectamenta parandas
Ex patria seri accipiunt virtute nepotes)
Iam patruelis & Hispani manus altera regis
Te excitat in bello, ad laudes animosq́; viriles,
Nec te virtutis patrum patiuntur egentem
Facta vnquam: patrisq́; tuas virtutibus addis
Ipse etiam laudes & nomen ad æthera factis
Fers propriis, quondam pulchris ingentior ausis.
Nanque tuas Sorabi laudes si forte Coloni
Thuringiq́; Comes, taceant, si Phœbus & vnam
Iusta tibi inuideant tam dura encomia Musæ.
Quas pater, à Sorabis largo dum flumine Misnos
Diuidit, irriguis Sala præterlabitur vndis,

Mansfeld. Islebium.

Gebhardus de Mansfeld Archiepiscopus Coloniensis, patruus D. Comitis Ottonis.

Patruelis Comitis Ottonis: est à Consiliis militaribus Regi Hispaniarum.

Boia, non vnquam tellus inimica camœnis,
Ipsa tibi studiisq́ tuis præconia soluat,
Et Comitem nostra pleno ore loquantur Athenæ.
Non ea vana fides: vates primordia quanquam
ROTMARVS *laudum fecit iam parua tuarum,*
Forsitan illa dies fœlicibus efferet astris
(Quod precor, & mea vota suo Dij numine firment)
Qua memor hospitij & veteris Schola nostra clientis
Ad maiora tuis vatem in maioribus ausis
Audenda excierit, totasq́ effundere vires
Iusserit ingenij: cùm te MANSFELDIA *tellus*
Accipiet Dominum: tantum interualla locorum
Non intercludant nimis heu longinqua Poëtam.
Si liceat rebus magnas componere paruis,
Lenta inter quantum virides viburna cupressi,
Ceu dixit Latij decus indelebile vates,
Inter & Ausonias, totius & extulit vrbes
Orbis Roma caput: tantum, Comes inclyte, quondam
Te super & virtute feres, animoq́ virili
Illustrem Comites, & cunctis altior ibis,
Ingenioq́ potens, pulchrisq́ notabilis ausis,
Quid moror, et longis quid OTHO *te ambagibus heros*
Detineo? mea Musa tuis virtutibus æqua
Non est, nec meritas valet illa euoluere laudes.
Macte igitur generiq́ tuo superaddere Musas
Perge Comes: Res principibus dignissima semper,
Ingenuas etenim didicisse fideliter artes,
Credita: deterior nunc omnia destruit ætas,
Hoc precor, auspicibus Diuis per secula vitam
Decurras, generose Comes, fœliciter omnem.

AD ILLVSTREM AC VERE GENEROSVM, ADOLESCENTEM DOMINVM, D. FERDINANDVM KHVEN, à BELASI, in LIECHTENBERG & GARTENAV, Baronem in nouo LEMPACH, &c. cùm octauo Calendarum Maij Anno M. D. LXXIX. ACADEMIÆ Ingolstadiensis RECTOR publicè renunciaretur, autore Rotmaro,

Et meritò; Tantis etenim virtutibus alter
Grate tur potiùs iustissima præmia vates,
O Iuuenis, nostro ante alios gratissime cordi?
Miretúrue tuas iuuenili in corpore dotes?
Prædicet augustos sensus, animumq́; virilem,
Quem geris ante annos, serumq́; immittat in æuum,
Quàm qui telluris veterem se iactat alumnum
Communis tecum? Iuuarus quem notus ad vndas
Excoluit rapidas, & primos duxit in hortos
Aonium, Graiisq́; simul Musisq́; Latinis
Edocuit celsas intra consuescere rupes?
Non ita: nec tantæ potis est succumbere culpæ,
Atque audere scelus, nullis delebile seclis,
Tam mentis Rotmarus inops: sin verterit autem
(Quod minimè reor, & melius Dÿ numine faxint)
Ante meas alius Musas, serumq́; poëma,
Iam Superos, atque astra voco crudelia vates,
Et lubet in longum meritos producere luctus.
Sed mihi principium quod erit? quis carminis autor?
Quem primum, quem postremum, aut heroa secundum
Alloquar ô Musa? & Superis æquabo canendo?
Me pietas, virtusq́; virûm, primaq́; iuuentæ

Flos tenet ambiguum, & tantarum copia rerum
Ingenium superat nostrum, atque in carmine vires.
A te KHVENIADIS *magno de sanguine gentis*
Nate, Patris spes vna tui, dulcisq; voluptas,
Dulceq; solamen seræ FERDNANDE *senectæ,*
Principium Musæ: tibi desinet illa, tuamq;
Tecum vnâ æterno gentem quondam inferet æuo.
Tu quoque, si fas affari te versibus, heros,
IANE *meis faueas, precor, ô* IACOBE *camœnis,*
Et tantis, Princeps, fœliciter annue cœptis,
Annue bis binis, Præsul mitissime, lustris
Qui Iuuarum regis imperio, fascesq; superbæ,
Instaq; sceptra geris primis sub montibus vrbis,
Hic vbi Franciaca natus de gente cathedram,
Vangionum postquam sacra de sede fugatus,
Christicolis primam, fideiq; locauit auitæ
Diuus RVBERTVS*: Superisq; labentibus annis,*
Templum augustum, ingens, multo de marmore, & æris
Et centum posuit Sanctus sublime columnis
VERGILIVS, *pietate potens, & clarus Hyberno*
Sanguine, ter denos ædi qui præfuit annos:
Hûc ades, ô Princeps: tua pars quoque carminis vna
Nanque erit: atque tui vultu propiore nepotis
Aspice res, ingensq; decus: tua maxima cura
Ille est, parsq; tibi tantorum cedit honorum.
Quin etiam tanta genitor dignissime prole,
O IACOBE *poteus pulchris virtutibus heros,*
(Nam propiùs sanguis nostro de sanguine mentes
Attingit, subit atque imi penetralia cordis)
Tu mihi si faueas, dulces in carmina vires
Addideris, cursumq; dabis, facilemq; laborem.
Vrbs iacet in mediis Boiûm lætissima campis, Ingolstadium.

Danubium iuxta, Sueuis postquàm exiit oris,
Anglorum quæ nomen habet: videre priora
Secula sed Villam, & Monachi tenuêre beati
Imperio: validis inclusam postera muris
Turribus, & vallis, & cespite muniit ætas.
Vberê terra potens glebæ, Cererisq; benignis
Inclyta muneribus; multis habitata colonis,
Indigetisq; frequens: studiis asperrima Martis,
Teutonidumq; graui multò celeberrima bello.
Hûc pius Aonias voluit migrare sorores
Austriaca excitas quondam LVDOVICVS *ab vrbe*
Dux Boiûm, virtute potens, opibusq; superbus.
Fœlix, heu nimium fœlix, sua si bona sciret
Incola, si sacris iam nunc assuescere Musis
Atque animum vellet tantis formare magistris.

Scholares Ingolstadienses.

Heu quanta hîc sequitur Phœbeia castra iuuentus,
Cui varius rerum & linguarum discolor vsus.

Britanni.

Hîc videas toto diuisos orbe Britannos,

Scoti.

Quiq; bibunt Tamesim, Tuedam, Treutámue, Duumq;,

Brabanti.

Hic Morini, Geldriq; simul, cultiq; Brabanti,
Quiq; suum contra iam dudum insurgere regem
Sunt ausi, & cœlo pelagus miscere profundum.

Galli.

Sequana cum Ligeri Senonas, Heduosq;, suamq;
Bituriges mittunt primo sub flore iuuentam.
Quid Burgundiones referam, ditesq; Sabaudos,
Et lætam Rhodani potantem flumina pubem?

Itali.

Hîc etiam Ausonij soboles pulcherrima regni,
Et Ligures, populusq; Athesis, Ticiniq; iuuentus,
Hetruscumq; genus, genus alto à sanguine regum
Militat Aonio, virtus heu viuida, bello.

Poloni.

Quid? quòd & eximium nemorosa Polonia cœtum,
Nec contenta suis mittit Graccouia Musis?

Quin etiam extremas Boreæ qui currit ad oras, — Lituani.
Vilna pater patientem operum, validamq́ iuuentam,
Et durata gelu, Martisq́ asperrima ludo
Pectora, prægrandis lutosa Boristhenis vnda
A prima vsque sui transmittit origine fontis.
Et sileam dilecta tuas Germania laudes? — Germani.
Flos veterum, virtusq́ patrum, selecta iuuentus,
Seu vos Saxonicis rapidus pater Albis aboris, — Saxones.
Albis in abruptis Boiemi montibus ortus,
Imperij mittit: seu vos genuêre parentes
Vandalica de gente sati, quibus æquora pronùm — Vandali.
Balthica spectantur: seu terra remotior illinc
Ad Boream & multo circumflua Dania ponto; — Dani.
Quiq́ secas medios per Schlesia mœnia campos, — Silesij.
Sed neque Presliacis ignote Viadre camœnis,
Nec noua quas nuper, Domino duce & auspice, MARCA — Brandenburgiaci.
Accepit, Musis Phœboq́ inimice potenti,
Bauaricos miraris agros, Istrumq́ superbum.
Tu quoque Teutonidum fluuius regnator aquarum, — Rhæti.
Excelsis primas qui voluis ab alpibus vndas,
Fontibus è geminis ortus, seu Rhene profundas
Vorticibus penetras valles, atque impete magno
Rhætorum: seu quâ vastas caput abdis in vndas,
Et Veneto miscêre lacu: siue alluis agros.
Heluetiumq́ latus, Cererísue domosq́ Lyæi — Alsatæ.
Alsatas: seu quæ nucibus gratissima Græcis
Vangionum est tellus: nec denique, subiacet oræ — Rhenenses.
Occiduæ ad vastum quæcunque ab origine pontum,
Negligit hac fama Boias excita camœnas.
Quid memorẽ argentũ, atq́ aurum cœlantia fuluum — Tyrolenses.
Tyrolidis iuga, quæ summis ex montibus ortus
Alluit, atque vndis Oenus fœcundat amicis?

Carinthij & Crani.

Quaeque intra abruptas properans immania rupes
Saxa rapit Drauus & vasto caput abdit in Istro,
Taurinumq́; Sauus qui fluctibus alluit vrbem,
Mittit vterq́; suam Musarum ad castra iuuentam
Boïa, nec nostris fugiunt assuescere mensis.
Haec acies iuuenum, virtutis & aemula turba
Sectatur Musas & Apolline digna loquentes.
Haec alit, haec ditat Boios multo aere colonos,
Boiorumq́; vehit fama super aethera nomen.
O patria, ô diuis, atque ô domus inclyta Musis,
Faelix, heu nimiùm faelix, bona si sua nosset
Incola, si vellet studiis assuescere sacris.
Illustres animae, quarum virtutibus olim
Exeruere caput dulces ante omnia Musae,
Nunc quoque vindicibus florent: super aethera fama
Nomen iit, caeliq́; manet post funera merces.
At quis honos? quae maiestas? quae gloria? quódue
Tam decus augusti imperij? quis dicere tentet?
Aut tantum possit splendorem aequare canendo?

Rectores Scholae Illustres.

Hos fasces & sceptra Scholae gestare potentes
Non vnquam erubuere Duces: si ritè recordor
Scripta Patrum: Boiae Dux Illustrissimus orae

Ernestus Dux Bauariae.

ERNESTVS, rapidum qui post ditione vocatus
Obtinuit Iuuarum Praesul: Princepsq́; Stetini,

Marchiones Brandenburgenses.

Brandenburgiaci FEDERICVS Marchio regni
Non aspernatus Boium cum fratre Lycaeum,
Et fasces gerere & teneram frenare iuuentam.

Landgrauij Leuchtenbergenses.

Et quid auum referam, & qui nunquã indignus auorum est,
Nec virtutis egens, pietate, fideq́; nepotem
Illustrem, maiorem ausis ingentibus olim,

Georgius Ludouicus Leuchtenbergensis.

Leuchtenbergiadis natos de sanguine gentis?
Tu decus omne tuis: nostra tu fama GEORGI

O LVDO-

O LVDOVICE Scholæ: patriæ te gloria stirpis
Est penes: in te omnis domus inclinata recumbit
Leuchtenbergiadum: charæ spes vna parentis,
Et decus & requies seræ exoptata senectæ.
Téne ego prætercam, decus indelebile gentis
Marchio Badenæ, & regni spes vna paterni,
Te siue externis etiamnum Phœbus in oris
Occiduus retinet: te siue PHILLIPPE reuersum
Vallibus in mediis saxi de vertice capræ
Deiectæ oblectant, ceruiq́ canesq́ morantur,
Aut consultantem de magnis curia rebus
Et responsa tenent clarorum docta virorum.
O mihi si nuper coràm data copia fandi,
Et dextram accipere & dextra coniungere dextram,
Et licitum manibus dare debita basia tantis,
Hoc vnum abfuerat: complêrunt cætera abundè
Diuite nanque tui consulti munere iuris.
Quid verò heroo referam de sanguine natos,
Illustresq́ viros, Comites, mágnosq́ Barones,
Et gerere & vicibus contrà parêre Magistris
Alternis potuêre suis, quorum inclyta fama
Iam dudum ad rutilas cœli super aurea sedes
Sidera conscendit, Diuûmq́ aduenit ad aures?
Sacra Magistratus res est, & cœlitus omnis
Munere Diuorum terris concessa potestas.
Ast homini quid præstat homo? nec credere par est,
Æquales omni generari in corpore sensus:
Quantò igitur Musis (vos ô mihi parcite vati,
A tergo quorum lutosum curia rastrum
Spectat, & ad durum magnus stat consul aratrum,
Nulla est in nostris abstrusa iniuria verbis)
Sunt Dryades & Hamadryades, Nymphæq́ minores,

Philippus Marchio Badensis.

Comites & Barones.

Et Fauni, Satyriq; simul, turpisq; Priapus,
Custos hortorum; & calamos qui iungere plures
Pan docuit: seu quos stultè admirata vetustas:
Tantùm inter fasces Academia se extulit omnes,
Augustumq; polo volitans caput abdidit alto.

Subditi Academiæ.

Scilicet haud Dolopes, nec duri miles Vlyßis
Impius, aut cœno datur hîc immundus arator,
Nec quas Deucalion vacuum iactauit in orbem,
(Durum à stirpe genus) duris è rupibus orti;
Imperio regimus fortißima pectora nostro,
Heroum genus, & genus alto à sanguine regum,
Augustosq; Duces, Comites, clarosq; Barones,
Qui poßunt placidis sese submittere dictis.
Omnes ingenui, multiq; parentibus orti
Nobilibus, virtute patrum virtute potentes
Innata: nihil hic humile abiectumq; videri
Nanque datur: munda est pubes & læta iuuentus.
Credite seruilis seruili in corpore mens est,
Fabrilesq; gerunt fabri sub pectore sensus,
Nec generant tenuem deformia corpora mentem.
Scilicet in natis virtus pulcherrima patrum
Est, neque Pieriæ patiuntur hebescere Musæ
Abstrusos sensus: sed nec generare columbæ
Augustas poßunt aquilas: & degener omnis
Degeneres edit proles, animosq; prophanos.
O magni fasces, & magno Principe digni,
Imperiumq; ingens, & regia penè potestas,
Fœlices, quibus hisce datum parêre magistris,
Concessumue sacris contrà ius dicere Musis.
Salue igitur, rutilans humeris cui pendet Epomis,

Ferdinandus Khuen, Rector Ingolstadianus.

Imperij fasces nostri, FERDNANDE, nouosq;
Aggredere ô iuuenis, venit quia tempus, honores:

En hodier-

En hodierna dies, Maij quæ nata Calendas
Attulit octauas, Patribus cùm redderet antè
Sceptra EISENGRINIVS, *pulcherrima fratris imago,*
Augustos (sic est visum) tibi voluit honores.
Hoc illa ante annos tua iam latissima virtus,
Hoc Patrum pietas & gentis auita tuorum
Gloria promeruit, qua non illustrior vsquam est
Magnis vlla viris & multo stirpis honore.
Accipe, de paucis licet omnem discere gentem
O FERDNANDE *tuam, proauos, atauosq; potentes.*
Et quid auum referam, quem regia curia quondam
FERDNANDI *coluit Diui, sobolesq; Magistrum?*
Quin memini, & meminisse iuuat, cùm fata sub ipsa
Affixus lecto, & senio morboq; grauatus,
Naue Salisburgum Iuuaro veheretur ad vrbem,
Ad fatale solum, portumq; locumq; sepulchri
Præsulis ille parens: quis eo fœlicior vnquam,
Qui tantos, tamq; augustos spectauit honores
Ipse sui gnati? potuit qui reddere Diuis
Morte animam elisam mediis complexibus hærens
Penè sui gnati? cuius placidissima Præsul
Fata super lachrymas fudit, mortemq; secutus
Est gemitu, atque anima præsens sua debita soluit?
Heu nihil inuitis hominem fas fidere Diuis.
Regna quidem tibi visa parens, sed limine regni
Deficis in primo, gnatumq; tuosq; relinquis,
Morte tamen fœlix: inter quem funere gnatos
Mersit acerba dies senio, fessumq; labore.
At nunc parta quies æterna in pace reposto,
Aspectuq; heros frueris propiore Deorum.
Fœlix morte parens: natis fœlicior ex se
Ille tribus: Princeps inter quos maximus auo

Auus Rectoris Curiæ Magister Oeniponti.

Ioannes Iacobus Archiepiscopus Salisbugensis patruus.

Et pietate potens, meritisq́; & honoribus omnes
Excellit proauos & auos, veteresq́; parentes.
Parce mihi, Princeps, veteris si facta recordor
Temporis, & quæ visa mihi puerilibus annis.
Nunc mihi, nunc etiam manet alta mente repôstum,
Quàm tantos quondam pater aggredereris honores,
Ante mihi, vultusq́; tuos, atque ora manusq́;
Quas gereres, visum: iam tunc inuadere magnum
Velle videbaris: factum fortuna secuta est,
Virtutiq́; tuæ rerum DEVS *adfuit autor.*
Præteritos vtinam referat tibi Iupiter annos,
Reddat & amissas infirmo in corpore vires,
Nec patriæ virtutis egens, nec laudis auitæ
Indige, Nestorea, Princeps dignissime, vita.

Iacobus Khuen, parens Rectoris.

Fœlix morte parens, nato fœlicior ex se,
Principis ad Iuuarum & fratris vestigia frater
Qui seruas, columenq́; aulæ & manus altera fratris.
Postquàm (ceu varius labor & mutabilis æui,
In peiusq́; ruunt facili mortalia casu,
Multiiugisq́; fores hominum mors excubat ante
Perpetuò morbis) fortunam expertus acerbam
Est Princeps: quoniam crassum magno impete frigus
(Nota lues senibus) ventres inuasit inanes,
Heu miserum, cerebri, minuitq́; in corpore sensus,
In te cunctarum rerum inclinata potestas,
O IACOBE *tuæ decus indelebile gentis,*
Pene omnis: tu præsidium, velut antè solebas,
Dum melior sanguis, dum stabant corpore vires,
Magnum alios inter fratri es, rerumq́; leuamen.
Si iusto vellem pertexere carmine laudes
Magne tuas heros, cunctasq́; euoluere dotes,
Sint plures lingua, sint oraq́; plura canenti.

Princi-

Principibus placuisse viris, orbisq́ Monarchis
Illustris laus est, nec habent encomia pondus,
Quæ ratione carent, vulgoq́ probata bilingui.
MAXIMVS ille tuas, heros fortissime, dotes,
Non vnquam ignarus veræ succurrere laudi,
AEMYLIVS Cæsar secum miratus, & vltrò
KHVENIADI magnos genti donauit honores.
Et super ille decus, nomenq́ illustre Baronis
Addidit, insignis monumenta perennia facti.
Fœlix morte parens, nato fœlicior ex se
RHVDOLPHO, magni magnam qui Cæsaris aulam
Consiliis sequitur sanis non futilis autor.

Rhudolphus patruus, & Consiliarius Cæsaris.

Nascimur haud nobis: sibi patria vendicat ortus
Partem aliquam nostri, & consanguinitate propinqui.
Ergo tibi, quamuis placidam RHVDOLPHE quietem
Eligere, & poteras tranquillam ducere vitam,
Aula tamen placuit: sed quam tamen adferat vlli
Aula voluptatem? rebus succurrere fessis
Est opus, & labor, & merces, quam soluit Olympus,
AEternam meritis donans post funera pacem.
Macte herôs virtute tua, nec desine cæptum
Carpere iter: quondam, veniet cùm plenior ætas,
Ipse tibi Cæsar, magni spes altera patris,
Quem pater, & proauus, quem fortis & excitat Hector
Frater aui CAROLVS, domitor Germanidos oræ,
Immemor haud meriti persoluet præmia tanti.
Quò tua sed, iuuenis, maternæ stirpis origo,
Quò virtusq́ virûm & vatem tantæ inclyta gentis
Lausq́, decusq́ rapit? Quis enim fando explicet vnquam,
Quis Thanhausiadis meritos exæquet honores
Dicendo gentis? primaq́ ab origine laudes
Et merita illius referat pulcherrima versu?

Materna familia est Baronum à Thanhausen.

Ante diem sero componat vesper Olympo,
Quàm matrem, FERDNANDE, *tuam, matrisq; parentes*
Et Thanhausiadem penitus pertexere gentem,
Et liceat mihi summa sequi primordia rerum.
Ergo mihi genitor sat te, FRANCISCE, *tuosq;*
Dicere sit gnatos: illos virtutis egentes,
Posteráue indignos maiorum haud arguit ætas.
Nanque quid Austriacos dominos; te CAROLE *Quinte,*
Quem fas Oceanum (sic dij voluistis) & vltra
Amphitryoniadæ fuerat proferre columnas
Imperium, referam? quid te pietate potentem,
Et FERDNANDE *fide, & tanto dignissime fratre,*
Adducam? vos FRANCISCO, *fortissima quondam*
Pectora, virtutis testes: nanque vtilis autor
Consiliis vobis, seu pax, seu bella gerenda,
Ille fuit semper: tua nunc quoque Iuuarus, heros,
Gesta recordatur merita & FRANCISCE, *vicesq;*
Te domini gessisse refert, in montibus altis,
Hic vbi Friesachium non indignatur amicum
Præsulis imperium Saltzæ residentis ad vndas.
Si bene nunc etiam, FRANCISCE, *audita recordor,*
Sex tibi erant gnati: quos inter maximus æuo
CHRISTOPHORVS: *non Austriacis ignotus in oris,*
Ingratusúe tibi, Cæsar FERDNANDE, *nec æuum*
Exegit tacitum, durisúe inglorius armis
Delituisse domi potuit; quin Gallia sensit,
Sensit & illius virtutem Pannonis ora
Inferioris ouans, formidandusq; Tyrannus,
Qui premit Vngariæ ferro flammisq; colonos.
Præfuit ille etiam summus capitaneus oris
Cæsaris imperio, rapidas vbi primitus vndas
Eructat Drauus, excelsis de montibus ortus.

[Marginal notes:]
Frãciscus à Thãhausen Ferdinãdi Khuen auus maternus.
Cõsiliari⁹ Impp. Caroli Quinti & Ferdinandi primi.
Vicedominus Salisburgensis in Friesach.
Sex gnatorum parens.
I. Christophorus Cæsaris Ferdinandi Consiliarius.
Militauit in Gallia & Vngaria.
Capitaneus Carinthiæ.

Nec minor hoc frater virtute GEORGIVS, *ille*,
Austriaca pro gente domus qui sumere contra
Arma ausus Turcas: iterumq́ iterumq́ Tyrannis
Congressus medio in campo, nec territus vnquam
Aduersis telis, ira, vitaq́ pepercit;
Heu Thanhausiadis quantùm se gloria gentis
Extulit hoc vno? si quando bella sinebant,
Ille etiam pacis studiis clarissimus alma,
Sæpe Oratorem magnis de rebus agebat,
Non minor vt fando foret is, quàm fortis in armis.

II.
Georgius.
Dux militaris sæpius contra Turcam pugnauit.

Oratoris functus munere.

Haud ego te sacros inter, pater optime, Mystas
Prætereo, ad Iuuarum, superis vbi condidit amnem
Mania VERGILIVS, *sollennesq́ addidit aras*
BARTHOLOMÆE *Diis, nostrisńe indictus abibit*
VVOLPHGANGVS *Musis? cuius pater ille Tyrolis*
FERDNANDVS, *princepsq́ bonus, qui vescitur aura*
Nunc etiam æthérea, quondam, dum vita manebat,
Vsus seruitiis: & te libet addere IANE
Fratribus ô IACOBE *tuis, qui functus eodem*
Munere cum fratre es: sed te sibi pocula Cæsar
Miscere & voluit primis adiungere labris,
Antè suo quàm FERDNANDVS *contingeret ore.*

III.
Bartholomeus Canonicus Salisburgensis & Pataulensis.

IIII.
VVolphgangus Theodoricus Ferdinandi Archiducis Austriæ Pincerna.

V.
Ioannes Iacobus Princerna Cæsaris Ferdinandi primi.

Vos tamen heroës pariter mors sustulit omnes,
Et noua nunc rutilo dignas decora addit a cælo
Pro meritis grates, & pro fœlicibus ausis
Æterna accipitis iamdudum in pace reposti.

PAVLE *tuis superes qui tot de fratribus vnus*
Seu Cereris Bacchiq́ domus tenet Austria, seu te
Nunc iubet intra alpes montosa Carinthia vastas
Principis esse loco: non te belloq́ domiq́
Insignis pater & fratres virtute potentes
In sensus patriosq́ trahunt animosq́ viriles?

VI.
Paulus Dapifer Archiepiscopatus Salisburgensis hæreditarius.

Macte

Macte heros, columenq́; tuæ fer ad æthera gentis
Egregiis famam rebus nomenq́; paternum.
Ex hac gente tua est genitrix FERDINANDE *creata*

Elisabetha à Thãhausen mater.

ELISABETHA, *viro coniunx deuincta potenti.*
Heroina grauis, virtutibus inclyta multis,
Et prudens matrona, domus decus atque columna
Nobilis, atque suo mater fidissima gnato.
At te nunc, Iuuenis, supremo in fine, reuertor,
Cui Bauara data sceptra Scholæ, fascesq́; superbi.
Cùm tua maiores spaciis propioribus ætas
Et patruos & auos, & qui genuère, sequetur,
Magnorum haud vnquam fueris indignus auorum.
Sis patrui, patrisq́; memor, gentisq́; vetustæ,
Teq́; labor, virtusq́; simul, pietasq́; tuorum
Excitet in laudem maturè, animumq́; paternum.
Sisq́; memor, cuius iam dudum assuescere mensis
Et solitus pulchros tecum componere mores,
Quæ te multa docet, monitisq́; fidelibus vrget
NICOLEOS EVERHARDIADES: *erit ominis instar,*
Quam gestas humeris, rutilans fœlicis Epomis.
Accipe Bauarici, Iuuenis, præsagia vatis:
Magnus eris quondam, si quò te ducit auita,
Augusto residens iam nunc quoque pectore virtus,
Non vnquam inuitus fœlicibus iueris astris.
Macte igitur virtute noua: tibi proroget, opto,
Cum magnis patruis, charisq́; parentibus annos,
Et tantos DEVS *omnipotens fortunet honores:*
Hæc est, ô Iuuenis, votorum summa meorum.

AD GENEROSVM ET MAGNIFICVM DOMINVM IOANNEM IN ANSTENRAEDT ET GELEEIN &c. Cùm in Catholica Boiorum Ducum Academia, in festo D. LVCÆ Anno XXC. publicè ac solenniter RECTOR proclamaretur.

SIC equidem, occidui iubar indelebile regni,
Et patrui pars vna tuì, doctissime IANE,
ANSTENRAEDTIADIS gentis de sanguine nate,
Ex fatis sic rebar ego quandoque futurum,
Tempora dinumerans, cùm te quoque ferre superbos
Aspicerem fasces, nostri ornamenta Lycæi,
Deq́ tuis rutilans humeris penderet Epomis.
An tibi, GROESBECHKI, rebus fortuna secundis
Tantùm inimica tuis, nostros inuidit honores?
An tuus ante diem (quod fas est credere) Musis
Eripuit Boiis animum discessus, & illam
Præcidit lucem, tibi quæ debebat Athenas,
Quæ sceptra, & magno faciebat Epomida rege
Non vnquam indignam? Sic incusamus egenis
In rebus plerunque Deos: sic omnia voluunt,
In quouis & fata ferunt discrimine culpam.
Te quicunque tamen GROESBECKI detinet orbis,
Seu fortuna tua quæcunque est debita genti,
Boiaricas ne sperne Deas, sunt mollia Boiis
Corda viris, meminère tui, & meminisse nepotes
Si iuuat, æternum spondent tibi carmina nomen
ROTMARI, ad cursum iam nunc traducta pedestrem.
Illa tamen vati, quanquam suspendere plectrum
Mens erat argutum, non intermissa recurrit,

Apostrophe ad Ioannem Groesbeckium.

Difficilisq; nimis longum sine carmine somnum
Musa negat: rapit illa vltrò, mentemq; fatigat.
Ergo pedestris abi (iam non est tempus eundi
Conueniens) cursor, sit equus, sint carmina curæ
(IANVS amat vates, & amat pia carmina vatum)
Passibus altigradum nobis imitata caballum.

Apostrophe ad Mosam.

Mosa pater, Vogasis nec non gratissime Musis,
Quid longas ignaue moras, si dicere tutum est,
Quid trahis? occiduum cur non properanter ad orbem
Tectaq; Tungrensi decurris subdita mytræ?
Hoc te ille, Ausoniæ Præsul notissimus vrbi

Groesbeckhius Cardinalis & Episcopus Tredirensis auunculus.

Egregiusq; animi, fortunatusq; laborum,
Et virtute potens, & amans pietatis auitæ,
Et fidei inuictus veteris GROESBECKIVS Atlas,
Autore accipiat; iam nunc & auunculus Hector
Præsul: & ipse parens dudum super æthera vectus,
Magnorum ARNOLDVS non vnquam indignus auorũ,

Ioannes Groesbeckius.

IANVS & in laudes GROESBECKIVS autor auitas,
Musarumq; comes nuper, sociusq; laborum,
ANSTENRAETDIADIS IANVM de sanguine gentis
Excitat, antiquos reuocans in pectora Patres.
Cætera sed Boiæ referent certissima Musæ.
Fælix illa Dies, Boias qua, Rector, Athenas
Ingressus: tua sed virtus fælicior omni
Sorte tamen: quæ doctorum meret vna fauorem
Iudiciumq; virûm, quid enim? si mater honorum,
Aurea si desit virtus, pietasq; fidesq;,
Veraq; Relligio Patrum: si mentibus addunt
Ardorem Superi nullum, nec amica quieti,
(Fit sua cuique DEVS quanquam ardua sæpe cupido)
Mens agitat quicquam ignauos inuadere magnum,
Quid patrem memorare iuuat? quid auos atauosq;

Illustres?

Illustres? magnóue satum de sanguine prodest?
Sed tamen imbellem fortes generare columbam
Non vnquam possunt aquilæ, virtusq; parentum
Occultis patriam stimulis agit insita prolem,
Nec timidos generat sensus, nec degener vllum
Admittit factum: rerum meminisse priorum
Illa iubet, veterumq; imitari facta parentum.
Non ego te patria (quis enim sub Sole cadente,
ANSTENRAETDIADIS *cui nō domus inclyta gentis,*
Et genitor notus, sit auusq; ARNOLDVS *vterque*
Et domus ad rapidum magnis GROSBECKHIA *Mosam*
Illustris rebus?) dubito virtute nepotem
Amplius exciri, lætissime IANE, *nec vnquam*
Patribus indignum: aut pulchræ virtutis egentem
Te reor in pulchra maiorum encomia laude
Tam positurum olim, quem nunc quoque præmia recti
Læta manent, animumq; noui testantur honores
Egregium, & Boiæ laudem tutantur Athenæ.
Principibus placuisse viris, ánne ambigat esse
Haud minimas quisquam laudes? proficiscitur omnis
A bene laudato laus & memorabile nomen:
Sed neque, Germanus quorum prudentibus orbis
Nititur oráclis: quorum responsa petuntur
Rebus in angustis, fallit sententia vatum,
Iudiciúmue errat: te tota Academia, IANE,
Te dignum augusti Patres & læta iuuentus
Censuit imperio, tua iussa facessere prompta.
Namque fidem præter, quam te docuêre parentes,
Quam te Tungrensis Præsul GROESBECKHIVS *ædis,*
Qui regit imperio Mosam, Mosæq; colonos,
IANE *sequi iussit, super & pietatis auitæ*
Culturam, quibus haud homini præstantius vllum

Familia de Ansteraedt in Germania inferiori notissima.

Laus est laudari à laudatis viris.

Concessum est superûm dono, & cœlestibus infert
Humanas quod rectâ animis post funera mentes,
Eluces propriis etiam virtutibus auctus,
Quæ meruêre, Patres in te conuertere totos
Vt vellent oculos, quibus est Academia curæ,
Quosq; Scholæ fasces penes est conferre potestas.
Nam sua nunc etiam meritæ sunt præmia palmæ,
Virtutesq; virûm toto gens pectore Boia
Accipit, atque alio quanquam sub sole iacentes,
Illa admiratur iuuenes: facit omnibus vna
Omnia (vis tanta est recti) communia virtus.

In festo D. Lucæ Rector eligitur.

Iamq; Serenato ter sextam October Olympo
Voluebat lucem: Diuo solennia Lucæ
Templa celebrabant, Bauari cùm sceptra Lycæi
Reddita iam patribus, rerumq; orbata Magistro
Illustris Cathedra penderet Epomis ab alta,
Insigne ô FERDNANDE *tuum, spes vna parentis*
KHVENIADVM *de gente sati (testata, tibiq;*
Visa cano) atque alium superis in vota vocatis,
Tractandis Patrum eligeret sententia rebus,
En tua se ante oculos offert pulcherrima nostros
Præsulis atque tibi coniuncti sanguine virtus,
Nec patitur variare Patrum, mentémue morari
Longiùs, & Procerum communibus ilico votis
IANE *tibi Boÿ cedunt pia sceptra Lycæi.*
Ergóne Pieriæ curam voluêre iuuentæ,
Eximiosq; Patres, ceu mos, tibi tradere fasces?
Regum insigne, tuos humeros modò purpura vestit
Splendida; Pelliceus vestem circundat amictus
Margine, supremo, Tanai notissimus amni.
Sed quis, IANE, *tuas non vnquã ingressus, ad ædes*
Cùm comitatus heri KNABIO *Doctore venirem,*

Quis

Quis, precor, occulto surgebat pectore sensus?
Quæ mens? quiue animus? Nostris quis sedibus hospes
Succedit? pacémne viri hûc adfertis, an arma?
An mihi, vah, miseri mortem memoratis amici?
Fortè inquis tecum: semper trepidamus amantes
Deteriora, nec est rebus spes dulcis egenis.
Iamq; salutâris Rector: nec fidere dictis
Velle videbaris: sed quò fiducia nostrî
Cessit & illa fides, Boiis experta camænis
Iamdudum? totus Patrum nos miserat ordo
Te sua Rectorem ad fasces & sceptra vocatum.
Hos si MOSA *tuus Princeps & Præsul honores*
Augustos oculis corâm inspectaret amicis,
Quæ non in tacito sentiret gaudia corde?
Non illi procerum pietas, & amica voluntas
Grata foret patri? tanti fecêre sorore
Qui genitum & charo sceptrum tribuêre nepoti.
Ne verò, ne te suspendere Epomida, IANE,
A tergo pudeat, sceptrumq; praire superbum,
Esseq; Boiaricis & dici Rector Athenis,
Optauêre Duces multi, multiq; tulêre
Non vnquam ingrati, memorant quos scripta priorum.
Et ne vana putes hæc me tibi fingere, quæso,
Hûc adhibe mentem: vix iam tria lustra decemq;
Confecit Tauri Phœbus sub sidere, quando
Brandenburgensis FRIDERICVS *Marchio fasces*
Acciperetq; iterum GVLIELMVS *Epomida frater.*
Quin etiam Præsul Iuuaro notissimus amni
ERNESTVS, *Bauaro Princeps de sanguine cretus,*
Vt taceam comites, magnaq; è stirpe Barones.
Nunc quoque sunt nostris, fortissima pectora, terris,
IANE, *Duces, Boium qui non spreuêre Lycæum,*

Rectores multi Principes fuere.

Marchiones Brädenburgenses.

(Haud regno indecores nostro, neq; enim indecor vnquã
Rursum illis sceptrum fuerit, nec fama feretur
Illorum tenuis, Boio dum Principe Musæ
Vindice florebunt, & dum mea scripta loquentur)
Nec sceptrum accipere & fuluos attollere fasces
Sunt dedignati: forsan fuit ominis instar
Maiorumq; illis fuit augur Epomis honorum.
Non ea vana fides, nec semper ficta loquuntur,
Quos vulgus vera obscuris inuoluere credit,
Sed quandoque pios cælestis numine vates
Spiritus intus agit, venturaq; carmine pandit.
Sunt hominum varij casus, atque omnia mutans
Ludit in humanis nimiùm sors aspera rebus.

Ernestus Dux Bauariæ fit Rector.

Pro multis satis vnus erit, quem dicere Musa
Instituit: Dux Boiorum notissimus æqui
Iustitiaq; parens, Bauaros cum fratribus agros
Imperij dederatq; suis ERNESTVS *habenas,*
Haudquaquam erubuit nostro parêre Lycæo.
Atque iterum fasces versa vice ferre superbos,
Atque adeò quisquam Germanis hospes in oris
Versatur? tantúmne procul peregrinus ab vrbe
Abfuit, aut rapidus quam perluit Ister & Oenus,
Vnde iter ad syluas rectum, terrasq; Bohemas,
Quaúe suum sacras inter caput extulit vrbes
Altius ad Iuuarum & primas sub montibus Alpes,
RVDBERTI *quondam Diui, sedesq; beati*
Aurea Vergilij: cuius vulgata per aures
Principis & toti meritò notissima mundo
ERNESTI *haud ierit fama & memorabile nomen?*
Boiariam Dux & Dominus GVLIELMVS *habebat*
Frater, & impigras ISARI LVDOVICVS *ad vndas,*
Hîc vbi vitiferis plenas in collibus vuas

Landis-

LANDISHVTA legit, Boij non vltima regni
Mænia, in optata compostus pace sedebat;
Ipse sed ERNESTVS *terris iactatus & alto,*
Quo melior nemo, nec erat prudentior alter,
Et magis in rebus vix quisquam industrius heros
Tractandis, Princepsq́; domi frugalior vllus,
Exoptatus adit Patauina mænia sedis
Primum, Boiaricis Præsul contermina regnis,
Inde sed ad Iuuarum magnum pater obtinet amnem
Imperium (tua Germanas contra ardua gentes
Mænia quæ quondam & non expugnabile vallum
IVLI *Cæsar erat) celsis & rupibus arcem*
Impositam, sacroq́; pedo, mytraq́; potitur.

Fit Episcopus Passauiensis.

Archiepiscopus Salisburgensis.

Marchio quin etiam, LITHVANA *è gente profectus,*
(Ni me decipiant veterum monumenta parentum
Et si præteritos digitis bene computat annos
Musa suis) RIGENSI *olim* GVLIELMVS *in vrbe,*
Quam sacras inter septem Germania sedes
Enumerat, Præsulq́; fuit. Princepsq́; superbus.
Fœlix illa domus, fœlicia mænia Diuûm,
Si bene culta fidem tantùm coluisset auitam
PRVSSIA, *nec virus potâsset* VISTVLA *dirum*
SAXONIÆ: *si nec, dominos malesana priores*
Aspernata, lupos proprio immisisset ouili.

Gulielmus Marchio Brandenburgensis fit Archiepiscopus Rigensis.

Nunc etiam nostri si forsan, IANE, *requiris*
Imperij maiestatem: via nulla videtur
Quærendi melior, quàm si lustrare priora
Tempora digneris, Comites, ditesq́; Barones
Queis ferre & fasces fuit & sceptra inclyta pulchrum,
Si te ipsum inspicias, quo non præstantior vllus,
Non est nobilior, iuuenumq́; augustior alter,
Siue incedis equo, seu te iuuat ire pedestrem,

Maiestas Rectoratus.

Quem

Quem neque per terras, neque saxa per ardua longas,
Solis ab occasu, quondam fœlicibus aruis,
Ire vias piguit: quem nulla pericula vitæ,
Quem neque tristis hyems, tempestatésue sonoræ
Ventorumq; furor, seu quicquid euntibus obstat,
Detinuêre domi, chari nec auunculus instar
Qui genitoris erat; patriæq; amor arduus in te
Nil potuit, virtusq; tua & Deus obstruit aures.
Denique, corporibus qua non est noxia nostris
Res magis, & morbos generat, viresq; resoluit;
Non insueta tuum potuit subuertere cursum
Temperies cœli, multos quæ terret euntes.
Imperium res sacra Scholæ & res regia verè,
Quod gessêre Duces, Comites, & longa Baronum
Et series iuuenum, quibus hæc fuit vna voluptas
Erudiisse animos & sacras ire per artes.

Officium Rectoris.

Ergo age Bauarico fœlix succede Lycæo,
Et regere imperio doctas, bone Rector, Athenas,
Parcere subiectis, & debellare superbos,
Et quos degenerare vides, frenare memento:
Coge domum errones, & grassatoribus obsta
Nocturnis: tranquilla sacris sint omnia Musis,
Sint noctes, illisq; dies sine nube sereni,
Ingenuos vim contra omnem plebisq; furores
Protege vesanos, absitq; iniuria vulgi,
Quam voluit Cæsar, quam summus & ille Sacerdos
Esse sacerdotum, Romanæq; arbiter Vrbis
Immunem voluit, sartam, tectamq; iuuentam
Redde, precor, vetitosq; tuo compesce tumultus
Auspicio, & quicquid poterit turbare Lycæum.
Et quis enim Musis miserando in turbine rerum,
Quis studiis atque ingenuis vacet artibus vnquam,

Cùm pax nulla bonis, nec fida silentia noctis?
Cùm furit in doctas (nimis heu miserabile dictu)
Turba prophana Deas, & agrestia corda virorum;
Nescio, quæ de te, pulcherrima pectora, Patres,
Et quæ promittat nostræ sibi magna iuuentus
Tota Scholæ, teq́; inspectat, miratur, amatq́;.
Conceptæ satis ergo spei fac, optime IANE,
Exuperans animos hominum maioribus ausis.
Macte noua tanto qui nunquam indignus honore es,
Virtute ò iuuenis, repetensq́; exempla tuorum
Egregiis patrium factis fer ad æthera nomen.

AD GENEROSOS, ILLVSTRIBVSQVE VIRTVTVM ORNAMENTIS PRÆSTANTES DOMINOS, D. PAVLVM NAruſſouuicium Capitaneum Marcouienſem & Miadctienſem Lithuanum; & D. ADAMVM TALVVOISZ Polonum, Caſtellaneum Gnieſſnenſem &c.

PAVLE Naruſſouici Lithuanà è gente profecte,
Tuq́; ò ADAME, precor, Boium propiore poëtam
Dignati acceſſu, noſtras audite camænas,
Quidq́; velint illæ, paucis aduertite mentem.
Non ea Germano ſunt effera pectora cælo,
Nec mens illa ſedet, Boiis infixa camœnis,
Vſque adeò, vt populos alio ſub ſole iacentes,
Exercere velint odiis, bellumq́; nefandum
In ſtirpem & genus omne gerant, quod Teutonis orbem
Extra eſt, & variat cultus & diſcrepat ora.
Me mea fata trahunt, rixis inimica malignis,

Trosq́, mihi, Tyriusq́, agitur discrimine nullo
Germanusq́, Italusq́, idem, Gallusq́, superbus,
Et quocunque alio quisquam remoratur in orbe,
Si modò culta gerat sacris bene pectora Musis.
Non ego nunc vestram primæua ab origine gentem
Pertexam, iuuenes: magna est; minor illa futura
Sed tamen, egregiis si sit virtutibus orba.
Nam velut auricomus cùm se extulit æquore Phœbus
Et rapidis ingressus equis, sed nubibus idem
Occulitur densis; satis est splendoris in orbe
Et satis est rebus lucis: tamen omnia fulgent
Clara magis, radios, nulla impediente, micantes,
Nube, suos cùm Sol promit: sic nobilis ortus
Sat splendoris habet: tamen huic si debita virtus,
Nobilibus pietasq́, viris si accedat auita,
Heu quantum patriæ sese effert gloria stirpis?
Nulla adeò toto gens barbara viuit in orbe,
Humanóue gerit tam obtusam in pectore mentem,
Quæ non plebem inter scitè discernat, & illos,
Quos genus & lumen patria virtute paratum
Altius euexit reliquis, aliquóue locauit
Nobilium in numero: quæ gens feritate tyrannos
Exuperat Turcas? tamen hi quoque nomina stirpis,
Nobilitatis habentq́, gradus & præmia laudis.
Ergo etiam vobis, præstantes laude, paternæ
Est decus, ò Iuuenes, augustaq́, gloria gentis,
Et trahitis genus à proauis, atauisq́, superbis
Nobile, consiliis quorum Lithuana stetit res
Sospes & auxiliis, seu pax, seu bella gerenda.
Est regio, tellusq́, agris connexa Polonis,
Hinc procul ad septem cœli semota triones,
Diues opum, diues preciosis pellibus; olim

Virtus verè nobilitat.

Descriptio Lithuaniæ.

Auri

Auri rarus erat, nunc eſt vberrimus vſus,
Frigidus aër ibi, dura inde à ſtirpe propago,
Atque hominum durata gelu ſunt corpora ſæuo.
At patiens operum & bello aſſueſcenda iuuentus
Continuò exercetur equis, haſtamq́; per orbem
Tranſmittit tenditue arcus, & ſpicula torquet,
Non vnquam illa reſes, Lithuanum dicimus orbem;
Hac vos heroës, rigidis aſperrima bellis
Multorumq́; parens tellus tulit inclyta regum.
Vrbs iacet ad VILNAM *fluuij de nomine* VILNA
Dicta, caput terræ, domus inclyta Præſulis: illam
Magni IAGELLONIS *patris de ſanguine natus*
Rex VDALISLAVS *fertur ſtatuiſſe Polonus*

Marcouia capitaneatus Domini Pauli.

Non procul inde locus, regio latiſſima, diſtat,
Incola Marcouiam dicit, ſed & altera terra eſt,
Cuius in heroum neſcit tranſcendere carmen
Nomen, & vna ſatis tellus pro pluribus: illa
PAVLE *tibi ditio magni cognomen honoris*
Largita eſt, quondam imperio ſubiecta parentis.
Si tamen annales veterum, ſi ſcripta reuoluam,
Et primæua ſequar penitus faſtigia rerum;

Naruſſuuitij origine Germani.

PAVLE, *Naruſſuuitij genus alto à ſanguine ducunt*
Teutonidum, ſeu Sors melior migrare priores
Seu, quæ docta vices, mutare nouerca coëgit.
Nunc quoque Germanæ remanent veſtigia ſtirpis,
Teutonius clypeus, Germana inſignia Salmo
Et panda volitans in caſſide cauda Pauonis.
Nec verò ipſe tuus noſtris indictus abibit

Nicolaus domini Pauli parens. Sigiſmundi Augusti regis Poloniæ Cõſiliarius.

Carminibus genitor: magni quondam ille ducatus
Theſauro præfectus erat: gratiſſimus idem
Et regi & regno, nec ſanis futilis autor
Conſiliis Auguſte tuis (ſic omnia voluunt

Numina & intereunt stirpes, aliaq́ resurgunt)
Rex IAGELLONIA *natus qui gente Polonum*
Vltimus imperium tenuisti mole superbum.
Heu virtus & prisca fides: Rex fidere patri
PAVLE, *tuo & tacitos solitus committere sensus.*
Teq́ tuumq́ adeò fratrem complexus amore
Eximio in primis magnum rex contulit annis
Imperium, & magnos vobis largitus honores.
Macte tua virtute, precor, sic ibis ad astra.

Samogetia Castellaneatus D. Adami.

Hanc super inde alia est contermina terra Borussis,
Liuonasq́ inter Lithuanas inter & vrbes,
Dicitur indigetis Samogethia: nobilis illa
Terra viris, belloq́ grauis, cui Tartarus olim
Deuictus cessit, duriq́ potentia MOSCHI.
Hac Castellanum genitorem ô ADAME *potentem*
Terra tuum accepit (sed adhuc quoque vescitur aura
Aetherea, viuatq́ diu, viuatq́ paterna
NICOLEOS *terra) non hunc virtutis egentem*
Arguerit quisquam, Germani Cæsaris aula
Austriadumq́ fidem loquitur domus inclyta, nec dum
Virtutem herois summam est oblitus ERICVS
Rex SVECIÆ, *& galeas didicit trepidare Polonas.*
Quid tamen ad veram generosa prosapia laudem?
Quid iuuat à magnis genitoribus esse profectum?
Et premere imperio quid regna amplissima? quidúe
Nobile conducit magni cognomen honoris?
Quid iuuat, esse domi cuiquam defossa talenta
Cælati argenti? quidúe auri pondera facti
Infectiq́? parum referunt illa omnia laudis.
Magna quidem, fateor, mirandaq́ munera Diuûm,
Sed fortuna tamen largitur sæpe benigna
Indignis, atque illa penu deponit iniqua.

Fælix

Fœlix ille igitur, terq; ille quaterq; beatus,
Qui voluit, claris postquam genitoribus ortus,
Addere virtuti patrum, generiq; superbo
Ingenuas Musas, famamq; extendere factis
Ipse suam & propriis magnos virtutibus ortus
Tutari & nomen rutilanti condere cœlo.

Ergóne vos patrias, fortissima pectora, terras?
Vósne solum dulce, & dulces liquistis amicos?
Et longas per saxa vias, nemora alta, per vndas,
Teutoniam ingressi, Rheniq; Istriq; superbi
Accestis Musas, & sacra palatia Phœbi,
Vt cùm læta domi Gazas fortuna benignas
Iam largita foret, nec opes, nec munera sortis
Deficerent, pulchraq; forent in corpore dotes,
Colligeretis opes, vera ornamenta, nec vnquam
Interitura, animi, vobis dum vita superstes?

Rectè equidem magnum reor admonuisse Platonem,
Ceu quæ terra parens gremio depromit ab alto,
Omnia multiplices hominum nascuntur in vsus,
Sic nos non nobis, hominum sed principe causa
Esse loco natos homines: partem ergo parentes,
Et partem nostri sibi patria vendicat ortus.
Ergo consiliis pariter, dextraq; petenti
Est succurrendum patriæ, cùm postulat vsus.
Ergo agite, ô Iuuenes, quo vos cæpistis, abite
Tramite, quicquid habet dicendi haud vana facultas,
Dum licet, & vacuum non alta negotia tempus
Concedunt, iustas, precor, Oratoribus horas
Impertite bonis, atque inclyta facta parentum
Voluite in historiis, animisq; recondite vestris,
Sic licitum patriæ quondam prodesse saluti.

Tu tamen ô tanta facias adiuncte iuuentæ

PETRE, nec in medio patiare resistere cursu
Quod facis egregiè, & calcar currentibus adde.
Ipse etiam, implicitas si quando euadere Syrtes
Contigerit, medium in campum & latissima tempe
Dispatiare Oratorum, floresq; saporos
Carpe manu: nec te pigeat quandoq; laboris.
Viuite vos iuuenes & viuite Nestoris annos.

AD GENEROSOS, MAGNÆQVE INDOLIS DOMINOS, STANISLAVM IN RVSOCZIZE, PAVLVM à DZIAlin, & ALBERTVM à Ponethou, &c. Barones Polonos.

SIT mihi, vos etiam, Boij pars vna Lycæi,
Fas canere, ô Iuuenes, finem nostri ante laboris
Quàm faciam & fessum suspendam ex arbore plectrũ:
Et meritò canimus: quia vos quoque carmine digni
Estis: seu genus antiquum, magnosq; parentes
Augustósue patrum simul intueamur honores.
Seu vos spectemus, iuuenes, lumenq; iuuentæ
Purpureum, lætosq; oculos, atque ora decora,
Et bene compositos, quæ res pulcherrima, mores.
Iam mihi nunc etiam liceat præsagia mentis
Dicere (cælestis vates nanque implet Apollo
Sæpe etiam veris) quòd si, cùm grandius æuum
Adueniet, seu iam viridem lanugo iuuentam
Vestiet, aut matura viros vos fecerit ætas,
Quò vos nunc etiam virtus, & magna parentum
Facta vocant, quondamq; eadem haud oblita recurrent.
Ibitis, ô Iuuenes, animis, manibusq; parati.

Haud vos dißimilem patriæ aut virtute parentum
Arguerit, nec quisquam animos culpârit inertes.
Credite, res pulchra eſt, magnis genitoribus ortum
Eſſe viris, quorum neque ſerum obliterat æuum
Virtutes, & apud memores ſtat gratia facti.
Nanque quid ad veram laudem, ſenſusq́ viriles
Plus opis attulerit, ſomnumq́ excuſſerit altum,
Cernere quàm cùm facta patrum generoſa, daturq́
Diſcere virtutem ex illis verumq́ laborem?
Vt repetendo animo, ſi quando adoleuerit ætas,
Tunc etiam memores exempla ſequamur auorum.
Rex Anchiſiadæ & Romanæ conditor arcis,
Arcadis auxilium ſubmiſſe in bella petenti,
Euandrus voluit Pallanta adiungere gnatum,
Qui ſpes vnus erat Patris, ſeraq́ ſenectæ
Grata quies, vt ſub tanto tolerare magiſtro.
(Quanquam ille Arcas erat, AEneas Troïus hoſtis)
Militiam, graue Martis opus, belliq́ labores
Poſſet, & hunc primis admiraretur ab annis
Ilicoq́ AENEÆ pulchris aſſueſceret auſis.
Anné parum, iuuenes, vos hac in parte beatos
Arbitrer? aut aliis quis crederet eſſet minores?
O Patria, ó veteris (nam me quoque fingite veſtris
Eſſe ortum terris) domus alma Polonia laudis,
Et gens pace grauis, durisq́ aſperrima bellis.
Hæc veterum virtute patrum torpeſcere quenquam
Haud ſinit, & pubem vicinos armat in hoſtes.
Flectere primus equis primæuo in flore iuuentæ
Spiculaq́ eſt ludus mauortia tendere cornu,
Aut vibrare haſtas manibusúe emittere tela:
Et quis enim contra vicinas prælia gentes
Neſciat illius regni? quis ſæpe repulſum
Ignoret Moſchum, quo non crudelior hoſtis,

Aſpe-

Asperiorq́; armis terrisq́; potentior alter?
Quin & fama recens ad nostras pertulit aures
Armis edomitum rursus MOSCHVM *esse Polonis.*
Hæc patria, ô iuuenes: quid par præstare parentes?
Nobile virtutis non sunt exemplar auitæ?
Vosq́; sequi cupiunt veteris vestigia laudis?
Heu mihi quòd nostrum tot splendida nomina Carmen
Abnuit, & stirpes, & non admittit honores
Dicere sæpe suos, ergo mihi parcite, si quæ
Spem præter, iuuenes, malè prætermittimus omnem.

Familia Lasconū summa semper familia.

LASCONIS *antiquo natam de sanguine gentem,*
Diuitiis referunt celebrem, bellisq́; potentem,
Officiis regni primis, & honore fuisse
Illustrem semper, dominosq́; à Rege secundos,

Stanislaus in Rusoszik.

Hacce STANISLAVS *iuuenem de gente profectum*
Ipsa docet virtus, insigniaq́; inclyta gentis,
Quæ gerit ille eadem magni cum Lasconis armis,
Nicoleosq́; parens, fuerat dum vita superstes,
Nomen & æternum gentem transmisit in æuum.
Ergo age, tantorum ne quondam indignus auorum
Inclyte sis Iuuenis, repetensq́; exempla tuorum
Nicoleo vt natus, factis videare parente.

Paulus à Dzyalin Castellanus.

Nec DZYALINA *minor gens, aut ignotior armis*
Officiisq́; fuit, magnosq́; ea gessit honores:
PAVLE, *tibi* PAVLVS *genitor, qui vescitur aura*
Nunc etiam Castellanus, clarissimus heros,
Consiliisq́; habitus Regi non futilis autor.
Ipse Palatinus frater Chelmensis, & armis
Egregiusq́; animi, fortunatusq́; laborum,
Hunc tibi, PAVLE, *virum, nunquam virtutis egentem*
Ante oculos propone tuos, vestigia Patris
Insequere, & patriæ conare insistere laudi.

Tu

Tu quoque Bauaricas, generose ALBERTE, *Camœnas*
Ingredere, & paucos à me, precor, accipe versus.
Si tua facta patrum nequeat iactare priorum,
Censuit illustris semper, nec haberet honores
Gens regni, nec diuitiis, nec nobilis armis
Illa foret, tamen vnus homo tantam arte ruinam
Sarciret, lumenq́; suis inferret amicis.
Namque ALBERTE *tuo genitore an doctior alter?*
Consiliis melior sanis? an rebus agendis
Dexterior quisquam? namque ipsa Polonia nouit,
Cæsaris hoc aula, & nouit penè integer orbis.
Hic Pater in laudem & virtutem IACOBVS *auitam*
Te excitat: ergo omnem super hoc molire laborem,
Dissimilis nunquam vt magni videâre parentis.
Hæc aliena tamen, Iuuenes, atque omnia Sortis,
Nec nostri bona sunt animi, laudisq́; merentur
Exiguum, & veteris sunt tantùm insignia laudis.
Vos quoq; sed, Iuuenes (neque enim est ea gloria parua,
Vestraq́; sola manet) bene prima ætate paternæ
Consulitis laudi: quondam maiora daturi.
Vos generi Musas, quibus haud est dulcius vllum
Additis, ad summos quæ monstrant semitam honores.
Quid tamen ingenium excultum studiis, artesq́; peritis
Ingenuæ prosunt, virtus verè aurea quando,
Cùm deest & pietas & Relligionis auitæ
Dulcis amor? pietas cedit, cùm pectora tristis
Hæresis obsedit, quæ relligionis honorem
Turpiter oppugnat, nec docta est parcere Diuis.
Ergò vos multum gratæ super omnia Musæ
Delectant & sæpe sua dulcedine replent.
At pietas commendat ouans, quam discitis annis
In primis, fixamq́; animis infirma senectus

Albertus à Ponethou.

Iacobus à Ponethou, vir eruditus & illustris Alberti parens.

Accipiet, nec eam suprema deseret hora.
Quàm bene res geritur, quàm tum DEVS annuit ausis,
Cùm pater ipse domus; et cùm pietate Magister
Antèit quisq; suos, laudisq; ostendit auitæ
Præuius ipse viam: sequitur, dum mobilis ætas
Dum faciles cedunt animi, generosa iuuentus.
Hoc generis splendore potens, virtute, fideq;
Insignis, tantæq; grauis Præfecte, iuuentæ,
Hoc facis ANDREA, & quorum tibi credita cura est,
Exemplo trahis ipse tuo, & pietate sequentes
Præcedis Iuuenes, nec te labor improbus vnquam
Opprimit, aut cogit commissum linquere munus,
Perge ergo veteri fælix pietate, tuosq;
Antiqua Dominos sub relligione tuere.
Viuite fælices iuuenes, cum grandior ætas
Venerit, augustos vobis concedat honores,
Omnia qui fecit Deus, & qui cuncta gubernat.

AD GENEROSOS DOMINOS IOACHIMVM, ET ALBERTVM FVGGEROS, BARONES IN KHIRCHPERG, ET VVEISSENHORN &c. fratres Germanos.

VOS mihi supremum, soboles pulcherrima, fratres
Fuggarica de gente sati, componite finem
Carminis, & portu defessam condite nauem,
Sed tamen, ô Iuuenes, non hic pertexere totam
Fuggaridum meditor, primaq; ab origine gentem,
(Longa etenim ambages, series longissima rerum)
Aut proauos, atauosq; paro numerare potentes,

Tan-

Tantum summa sequar gentis fastigia, quantum
Nunc satis, & vestros, iuuenes, attingit honores.
Tu mihi Iane IACOBE *veni, decus addite cœli*
Indigetis, fama & pulchris pater inclyte rebus,
Quondam etiam mæstis decus & fida anchora Musis,
Quod mihi principium fandi? quæ meta? quod inter
Tot solùm enumerem laudes: super astra secuta
Aurea quæ meritum tua sunt post funera: Multa
Fœlix prole parens, cuius sese vna Sionis
Natorum pars seruitio Christiq; dederunt,
Pars etiam duris iam dudum innotuit armis,
Hinc procul heroës alio sub sole sepulti.
Pars impubis adhuc Musis operatur amœnis,
Magna in spe positi, magnaq; idem indole fratres.
Rem, Musæ, nulli obscuram, nec vocis egentem,
Pene mea canitis: vobis Ecclesia testis,
Non ita quam procul hinc rapidis pater alluit vndis,
Et mediam naues transmittit Saltza per vrbem.
Quid? quod Fuggarea nimium quoque gente superbit,
Alter Teutonidum fluuius regnator aquarum,
Hic vbi subnigrum recipit gremio Ister Ilissum
Et Patauinus habet pulcherrima mœnia Præsul.
Sed tamen ante virum (nec cæruleus inuidet Oenus)
Ipse suis Ister Mystis adscribit eundem,
Quâ molem infandam pontem indignatur eundo,
Tiberiiq; altam rapidè præterfluit vrbem,
Quaq; in decliui posita est Ecclesia colle,
Corbiniane tuum quondam pater optime templum,
Et domus alma precum, sacram qui primus in vrbe
Fruxinea Præsul mytramq; pedumq; tulisti.
Quin &, quæ variis, sub sole cadente, procellis
Hæresiωn, bellisq; iaces iactata nefandis,

 Diuorum

Diuorum quondam domus & latißima tellus,
Sunt tibi Fuggarea noti de ſtirpe nepotes,
Pro Rege Hiſpano, & pro Relligionis honore
Arma tulêre duo, fortißima pectora, fratres,
Fuderuntq́; ambo dulcem ſub limite vitam.
At vos, prima quibus teneras lanugine malas
Nondum, ALBERTE *minor, tuq́; ô* IOACHIME *iuuentus*
Circumfuſa ambit, nec dum grauioribus ætas
Apta, iubet Phœbi ſtudiis aſſueſcere ſacris,
Arteſq́; ingenuas inter perdiſcere Muſas,
Tertius Italicas inuiſit frater Athenas.
Ergo Scholæ, ô iuuenes, inter vos lumina noſtræ
Quis numerare neget? multis pater Iſter ab annis
Fuggareos aluit iuuenes, oſtroq́; ſuperbos
Aſpexit Bauari faſces geſtare Lycæi.
Fœlices animæ, magniſq́; parentibus ortæ,
Queis pater vnus erat quondam, quis crederet vnquam
(Vnius nec enim ſoboles mihi tota parentis
Enumerata) patrem tam multa prole beatum?
Annè erit illa dies, cùm non erit amplius vllus
Fuggaricâ de ſtirpe ſatus, vos numina tantum,
Vos dirum prohibete nefas, & præmia Diui
Fuggareæ bene pro meritis perſoluite genti.
Hæc ſatis ô Iuuenes, ſera ſub nocte canenti
Penè mihi clauſit ſubrepens lumina ſomnus.
Ergo vale IOACHIME, *valeq́;* ALBERTE, *nec vnquam*
Viuite ROTMARI *immemores, quocunque locorum*
Vos tulerit fortuna olim, dum vita ſuperſtes.

ACA-

ACADEMIÆ INGOLSTADIANAE PARS SECVNDA.

DE CANCELLARIIS ET PROCANCELLARIIS.

GVLIELMVS A REICHENAV EPISCOPVS AICHSTADIANVS LI. ET Academiæ Cancellarius Primus.

PRo autoritate graduum, titulorum, & honorum ſcholaſticorum, Academiarũ Fundatores plerunq; perſonas Eccleſiaſticas, & quidē Principes viros, aut æquales Principibus in ſcholarum Cancellarios elegerunt. Et quanquam aliqua in Scholares Iuriſdictio penes Ordinarios conſiſtit, non tamen idem in omni Academia Cancellarij munere fungitur, veluti in Archigymnaſio Friburgenſi licet cernere: Cōſtantienſis enim Epiſcopus eiuſdem loci eſt Ordinarius & ſupremus Academiæ Iudex, ad quem à Conſiſtorio Academico datur appellatio: Baſilienſis verò eiuſdem ſcholæ Cancellarius. Propinq̃tate verò loci, vt opinor, aut quibuſcunque aliis cauſis motus Sereniſs: Boiorum Dux Ludouicus, cognomento Diues, & verus Academiæ Fundator, eundem nobis Cācellarium eſſe voluit, facileque cùm à ſummo Pontifice, tum etiam Imperatore & Epiſcopo Aichſtadiano impetrauit, qui loci eſſet Ordinarius; ita tamen,

vt & criminalibus & ciuilibus causis determinatio penes Academicos remaneret. Fundata itaque, solenniterque publicata Academia (quanquã sub Ioanne eius nominis tertio, nobili ab Aich, prima sunt Scholæ facta initia, de qua re in Annalibus diximus) primus Cancellarius fuit Gulielmus à Reichenau Episcopus Aichstadianus quinquagesimus primus, qui cum aliis compluribus viris illustribus præsens Publicationi interfuit. Præfuisse scribitur Episcopatui Aichstadiano annis triginta duobus: Cãcellarij vero muneri viginti quatuor. Fuit Imperatoribus Friderico tertio, & Maximiliano primo vnicè charus, cùm & prudentia, & in rebus agendis industria, & summa valeret eloquentia: vnde ad intima eorundem, de maximis Imperij rebus, consilia adhibitus, & vtriq; in legationibus operam suam præstitit: veluti Epithaphium, quod in choro S. VVILIBALDI habet Aichstadij, demonstrat, quod eiusmodi est.

Gulielmus à Reichenau.

Publicatio Academiæ.

Episcopus, charus Imperatoribus.

VVILHELMO Episcopo Aystetensi, viro omnibus virtutibus ornatissimo, quem ob singularem fidem atque prudentiam Fridericus Cæsar, & Maximilianus Rex, non modò in Consilium de maximis Imperij rebus præcipuum adsciuerunt; sed etiã Legatum, Alter ad Matthiam Hungarorum, alter ad Carolum Gallorum reges miserunt. Maximilianus etiam, post Friderici patris obitum parentis loco in summis rebus habuit, & verbis compellare cõsueuit &c. Moritur Anno Domini 1496. die 18. Nouembris, sepeliturque in choro S. VVILIBALDI.

Cæsaribus quondam gratus, regniq; Monarchæ
Germani Præsul: quoniam non futilis autor
Consiliis habitus, summo nunc Sancte Monarchæ
Terrarum, & cœli domino gratissimus heros,
Æthereiq; tibi cura est Ecclesia cœli.

Tu

Tu tamen humanæ non obliuiſcere gentis,
Et regis, Præſul, cum ſtabis ad ora ſupremi,
Quæ fuit in terris, noſtri tibi cura recurſet.

PROCANCELLARIVS I.

PRIMVS conſtituitur Procãcellarius CAROLVS FROMONT Pariſienſis L L. Doctor & Profeſſor iuris Pontificij: Moritur idem Año Domini 1476. quinto die Nouembris, ſepeliturque apud D. Virginem in Sacello D. Virgini ſacro, in eius locum ſubrogatur.

Primus Procancellarius D. Carolus Fromone Pariſienſis.

PROCANCELLARIVS II.

REVERENDVS Pater, ac Dominus GEORGIVS ZINGEL ex Schlierſtat, Theologiæ Doctor, & Profeſſor, & Canonicus Aichſtadianus, de quo in ſequẽtibus plura.

Procancellarius Doctor Georgius Zingel.

GABRIEL AB EIB CANCELLARIVS II. ET EPISCOPVS AICHSTADIANVS LII.

GABRIEL ab EIB, Oſtrofrancus, Epiſcopatũ, & Cancellariatum adeptus Anno domini 1466. quinta Decembris. Dedit operam literis apud Ingolſtadienſes circa añum 1475. Præfuit vtrique muneri annos 39. Bruſchius in Epiſcopis Ayſtetenſibus, ſummæ illum Principem eruditionis fuiſſe, & Doctoratus titulo in vtroque iure inſignitum ſcribit. Verus fuit Patriæ pater, qui ſubditos ſuos nec vllis grauârit exactionibus, nec bellorum obiecerit tumultibus, cùm & æquita-

æquitatis esset amantissimus & obseruantissimus. Moritur Anno domini 1535. Calendis Decembris. Sepelitur in Basilica Aystetensium cum eiusmodi Epitaphio.

Hic cubat Antistes clara de gente GABRIEL
Editus, Ecclesiæ gloria magna suæ.
In quo consilium, solers prudentia, rerum
Floruit agnitio dexteritasq; viro.
Hic simul à clero duras subtraxit habenas,
Defenditq; suum cum pietate gregem.
Legitimos auxit census, quò tutiùs ipse
Consuleret patriæ rebus et vsque sacris.
In longos igitur vitam fœliciter annos
Produxit sanus corpore, mente magis.
Hunc modò defunctum fatalis continet vrna,
Ad quam turba frequens, cum prece spargat aquam.

Et ego quoque in eiusdem honorem aliquando eiusmodi carmen lusi.

DI tibi pro meritis (pietas nam maxima cœlo
Nunc etiam est Præsul) dignas persoluere grates
Iam sunt dignati, nec me sententia fallit:
Et tua tecta solo fœliciter ossa quiescunt.

Eius vices egit apud Ingolstadienses GEORGIVS ZINGEL Doctor Theologus vsque ad annum 1509. in cuius locum subrogatur eodem anno, aut certè non ita multò pòst,

PROCANCELLARIVS III.

Procancellarius Ioannes Eccius Theologus.

IOANNES ECCIVS, Theologiæ D. & Professor, Canonicus Aichstadianus, & Protonotarius Apostolicus.

CHRI-

CHRISTOPHORVS A PAPPENHAIM CANCELLARIVS ACADEMIAE III. ET EPISCOPVS AICHSTADIANVS LIII.

CHRISTOPHORVS MARSCHALKH de Pappenhaim dedit operam literis in nostra Academia, Annum circiter 1510. & subsequentes. Eligitur in Episcopum Aichstadianum Año 1535. die 28. Octobris. Præfuit Episcopatui annis tantùm quatuor. Pauca de hoc Episcopo scribit Bruschius, cùm proculdubio & ille suas habuerit dotes, à quibus commendari potuisset, neque hominum res illius gestæ, & Episcopatus administratio memoriam excesserit, quia decimo post ipsius mortem anno scripsit Bruschius. Illustrem certè familiam esse constat, ex qua etiamnum conplures supersunt, tum Pappenhaimij residentes, tum circa id oppidulum arces possidẽtes. Seniori à Pappenhaim, qui pro tempore gerit officium Marescalci in Imperio, vnus erat filius, Henricus Rhodolphus à Pappenhaim, qui hoc ipso anno, cùm ex morbillis apud Ingolstadienses laborasset, pòst in Galliam profectus, circa Septembrẽ ibidem obiisse dicitur.

At tu Magne vir & tanta dignissime sede,
AEthereas Præsul iam dudum euectus ad arces,
Aspernaris ouans an nunc mortalia cuncta?
Sis bonus, humanis quia dudum rebus ademptus,
Artubus exutis & carnis mole caduca,
Exemptisq; animæ maculis, & labe, Deorum
Immixtus numero, & vultu propiore potiris
Supremi regis, tua ne, precor, abnue vota
Heu bene pro miseris intercedentia nobis.

Procancellarius, Protonotarius Apostolicus, Canonum Licentiatus & S. Theologiæ Doctor & Professor, IOANNES ECCIVS.

MAVRITIVS AB HVTTEN
CANCELLARIVS ACADEMIAE IV. ET
Episcopus Aichstadianus L IV.

MAVRITIVS ab HVTTEN Ostrofrancus, eligitur ex Præposito Herbipolensi, in Episcopũ Aichstadianum Anno Domini *1539*. Præfuit suæ Ecclesię annos tredecim, menses quinq;, dies octo. Obiit anno *1552*. octauo Iduum Decembris. Nobilis est Huttenorum apud Ostrofrancos familia, belli pacisque studiis pręclara, Ingeniis præstantissimis, eruditione, & præsertim eloquentiæ facultate semper celebris, sed quibus abusi sunt quidam. Ex ea fuit oriundus familia Hudalrichus Huttenus, eques auratus, literarum humaniorum & linguarũ cognitione, & vtroq; dicendi genere, tã equestri, quàm pedestri insignis, nisi quòd in eos, quos nõ debebat, id est in Ecclesiam religionemq; Catholicã, & in Pontificem linguam acuerit, & ad calumniandum oppugnationemq; Ecclesiæ, diuinis suis dotibus abusus fuerit. Eum morbo Gallico scribit consumptum Gesnerus, taleque illi in Tigurini lacus insula positum epitaphium.

Huldaricus Huttenus, vir doctus Poëta & Orator

Hic eques auratus iacet, oratorq; disertus
Huttenus vates, carmine & ense potens.

Hæc ego in familiæ illius nobilissimæ ignominiã minimè scribo, cùm summis etiã loco natis quandoq; sua sint excrementa: Sed ad Cancellarium nostrum reuertor. Bruschius illi eximiam virtutẽ, multiplicem doctrinam, incom-

incomparabilem morum suauitatem, ac plurimarum linguarum cognitionem tribuit. Ioannes Lorichius Hadamarius, tùm Professor Ingolstadianus, qui viuum nouit Episcopum, eundem etiam ingenio, doctrina, rerum vsu, grauitate, prudentia, integritate & morum sanctitate tãtum fuisse, in oratione sua funebri scribit, vt mortuo Christophoro Episcopo, nemo in toto Capitulo fuerit, qui illi meritò proponi, & ad Episcopalem dignitatem, quam inuitus & reluctãs acceptare coactus fuit, posset euehi. Præfuit suo Episcopatui in summa rerum omnium confusione, tumultuante tota Germania, præliantibus ad Ingolstadium Schmalcaldicis, & ex Germania eiectionem Cæsari CAROLO V. sed frustrà, minitantibus: Cœlum, opinor, armis territabant. Ipse verò Episcopus suam prouinciam à grauioribus damnis prudenter est tutatus: quin & fidum quibusdam Ingolstadiensibus & præsertim Academicis præbuit refugium & asylum. Frugalis erat Princeps, aulamque alebat non pomposam quidem, sed benè moratam; &, vt plurima comprehendam paucis, veri Episcopi officio est functus. Summa adhæc prudentia, & in rebus agendis componendisque industria clarus, ac proinde omnibus comitiis, publicisque Imperij tractationibus interesse illum CAROLVS V. Imperator voluit: Tantum decoris, ornamenti, ac dignitatis, multiiuga eruditione ornatum esse adfert. Sed de his aliisque pluribus & Bruschius in primo tomo Episcoporum, & Oratio funebris Ioannis Lorichij consulatur. Nos eiusmodi in annalibus nostris ei Hexastichon posueramus.

Viuat in æthere a Præsul dignißimus arce,
Et decus & generis gloria prima sui.
Non pietate minor, quàm fascibus ille superbus
Almonius Princeps, nec minor arte fuit.

Clara viris domus alma sacris, domus inclyta Musis,
Nobilis ingeniis gens fuit illa piis.

Epigramma ad eundem ſcripſit Caſparus Bruſchius, infœlicem venam Poëticam redolens, ex quo illud diſtichon optimum,

In quem concluſit, diues natura bonorum
Quicquid habet, clemens & bonus ille DEVS.

Procancellarius D. Ioãnes Eccius Theologus.

In Procancellariatus officio, defuncto IOANNI ECCIO Anno 1543. ſucceſſit LEONHARDVS MARSTALLER, S. Theol. Doctor & Profeſſor, Procancellarius Academiæ Quartus.

Procancellarius D. Oſualdus Fiſcherus Arnſperger.

Anno 1546. ſub initiũ belli Schmalcaldici obiit LEONHARDVS MARSTALLER D. Theologus & Profeſſor, Procancellarius. In eius locum ſubrogatur OSVALDVS FISHERVS Arnſpergerus S. Theologię Doctor & Profeſſor, Procancellarius Academiæ Quintus.

Procancellarius Balthaſar Fannenman.

Profecto ad Suffraganeatum Friſingenſem Doctore OSVALDO ARNSPERGERO, ſuccedit BALTHASAR FANNENMAN Miſienſis Epiſcopus & Suffraganeus Hildeſhaimenſis, Anno 48. Procancellarius Academiæ Sextus.

Procancellarius M Eraſmus VVolfius.

Anno 1550. cùm ad Suffraganeatum Moguntinenſem vocatus eſſet Reuerendus Dominus Fannemannus, conſtituitur Academiæ Procancellarius ſeptimus, M. ERASMVS VVOLFIVS, parochus apud D. Mauritium.

EBERHARDVS AB HVERNHAIM CANCELLARIVS ACADEMIAE V. ET EPIſcopus Aichſtadianus LV.

EBERHARDVS ab HVERNHAIM, ex nobiliſſima, clariſſima, ditiſſimaque Rhetiæ familia, patre VValthero, pacis & præcipuè bel li

ſtudiis

ſtudiis inclyto heroe progenitus. Eligitur in Epiſcopum Aichſtadianũ Anno Domini 1553. rebus Epiſcopatus pene omnibus vehementer accifis. Acceſſit enim ad rerum gubernacula, nondum penitus pernitioſiſſimo per Germaniam ſuperiorem tumultu, & bello penè inteſtino cõpoſito, ſedatoque, cùm ſuperiori anno 1552. non Epiſcopatus tãtum Germaniæ, ſed & tota Germania (nihil enim in rabiem verſis ſanctum) incredibilia eſſet ab iis damna perpeſſa, qui ſe libertatis Germanicæ vindices, & patronos iactitabant, & contra Cæſarem, à quo ad ſummos erãt euecti honores, arma nequiter ſumpſerant. Ipſe quoque Epiſcopatus, & vrbs Aichſtadiana iniquam emens pacẽ, vt ſe ſuosque ſaluaret ſubditos incolaſque, ingenti ſumma pecuniæ dicitur per Marchionem Albertum multata. Quinimo ne ipſo hoc quidem anno, & initio regiminis Epiſcopi Euerhardi ſæuire contra Epiſcopos deſitũ erat, & plurimum negotij, tum Epiſcopis, tum cæteris quibuſdam Germaniæ Principibus, adhuc faceſſebat Marchio Albertus: Veruntamen Epiſcopus Eberhardus ita prudenter, ſapienterq́; , ita moderate & æquabiliter, tum ſua adminiſtrabat omnia, tum ſeſe erga alios exhibebat, vt ab omni penè periculo & diſcrimine ſuos tutaretur ſubditos, & quaſi ſartos ac tectos redderet, ita vt minimum penè inter Eccleſiaſticos detrimentum paterẽtur: cùm p̄ter intolerabiles pecuniarum exactiones, reliqui circumiacentes, & præſertim Franconiæ Epiſcopatus, & Norinbergenſis Reſp. ferro flammiſque ab eodem Marchione eſſent afflicti. Liberaliter domi ſuæ, etiam tum, cùm adhuc præpoſitus eſſet Salisburgenſis, vixit, ita tamen vt frugalitatis legitimæ terminos non tranſiliret. Summum in eo erga literas, & literatos viros amorem commendat alicubi Ioannes Lorichius, Profeſſor Ingolſtadianus. Humanitate

manitate mira præditus, & omni genere virtutum præclarus fuisse dicitur, adeò vt ab omnibus tanto honorum fastigio dignissimus haberetur, & quicquid tristitiæ, mærorisq; ex optimi Præsulis Domini Mauritij immatura, vt q. busdam videbatur (quanquã nulla mors immatura, quæ pia, & naturę cõsentanea est) morte boni omnes cõtraxissent, id omne in huius Episcopi virtute, bonitate, pietate, humanitate ac clementia ponerent, cùm pro eo, quem amiserant, non tutorem modò, sed planè alterum parentem sibi diuinitùs concessum intelligerent. Ad quam rem non ineleganti octosticho allusit Ioannes Lorichius Hadamarius, quod eiusmodi est,

Nuper erat tristi deiecta Ecclesia vultu
Eichstadij, mærens & chorus omnis erat.
Subdita Mauritium defleuit turba peremptum,
Pastoris lugens funera acerba sui.
Omnia deposito sed nunc squallore nitescunt,
Succedunt lachrymis gaudia sancta piis.
Id gaudent, quia fata patrem virtute fideq;
Præsulem in illius constituere locum.

Obitus Episcopi, ab Huernhaim.

Obiit Anno Domini 1560. qui sanè funestus erat annus, ꝑpterea quòd duos optimos Episcopos, Aichstadianũm, & circa Octobrem Salisburgensem, confratres olim in eadem Ecclesia & Capitulo, è medio & hominum consortio tolleret. Nos in annalibus nostris Academicis eiusmodi illi posueramus tetrastichon.

Nunc inter cœli vita meliore penates
Iure suo fruitur Princeps, Diuûmq; potitur
Aspectu, dura humanæ discrimina vitæ
Omnia post superata, æterna in pace repostus.

Ex hac nobilissima & vetustissima, tamq; belli studiis, quàm pacis clarissima familia vnus adhuc restat, vltimus

in ea prosapia, cùm virili careat prole, Ioannes Ioannes ab Hüernhaim eques auratus, heros multarum virtutum, & quòd singularem in eo meretur laudem, religionis Catholicæ amantissimus, & strenuus propugnator.

Ioannes Ioannes ab Hiernhaim postremus suæ familiæ.

Anno Domini 1553. die 18. Ianuarij obiit reuerendus Dominus Erasmus VVolfius, Professor & Parochus apud D. Mauritium, & Scholę Procancellarius, succedit eidem,

PROCANCELLARIVS VIII.

Reuerendus dominus Georgius Theander, Doctor Theologus & Professor.

Procancellarius D. Georgi9 Theander.

MARTINVS A SCHAVMBERG

EPISCOPVS AICHSTADIANVS LVI. ET Cancellarius Academiæ VI.

QVI magistratus, & præsertim Ecclesiasticos, quibus non tam externa hominum, fortunæque bona curæ esse debẽt, quàm animarum salus, Ecclesia Dei, religio & cultus diuinus, sorte hominibus contingere falsò sibi persuadent, illi nescio quem non solum Epicureismum olent, dum omnia fortuitò fieri arbitrantur, Deoq; suã adimũt prouidentiam, sed etiam atheismi crimine sese contaminare videntur. Ego verò siue magistratus nobis contingant mali, siue boni, diuino id fieri numine ac permissu, censeo, idque vel in pœnam delictorum hominum, morumque corruptorum reformationem, vel bonorum consolationem. Rectè enim ille dixit.

Oderunt

Oderunt peccare mali formidine pœnæ;
Oderunt peccare boni virtutis amore.

Ita ſingulari DEI prouidentia, ſi crimen adulationis ſubterfugere poſſem, Aureatenſi Eccleſiæ Martinum à Schaumberg, Paſtorem, & Præſulem contigiſſe dicerem. Succeſſit Epiſcopus ille reuerendiſſimo in Chriſto Patri ac Domino Eberhardo à Hiernhaim, Epiſcopo Aichſtadiano, & Præpoſito Salisburgenſi, Præſuli optimo, nec virtute, nec pietate, nec prudentia, nec eruditione deniq; inferior Epiſcopus Anno Domini M. D. LX. Dedit operam honeſtis literis Ingolſtadij, vbi Anno 1533. in numerum ſtudioſorum eſt relatus, quo tempore duo Comites à Caſtel, alter Herbipolitanus, alter vero Bambergenſis Canonicus, Academiam illuſtrarunt. Viuit adhuc Princeps ille plenus dierum, canisque venerandus, vita longiori digniſſimus, iamque annum vigeſimum ſuo Epiſcopatui laudabiliter præeſt. Ampliauit aream ſuæ arcis, in monte ſupra vrbem poſitę, & multa adiecit ædificia ingentibus & ſumptuoſis ſtructuris, vt verè regia nunc poſſit domus appellari. Iniuria cœli, grauisque tempeſtas, quæ diuerſis in locis cum grandine coniuncta, miſerè graſſata eſt, & tam ſegetes, quàm vites ad Lacum podmanicũ hora matutina ſexta proſtrauit, magnam vim feneſtris nouis in arce Epiſcopali intulit, confregit, & aliquot centum florenorũ feciſſe damnum dicitur, idque menſe Sept. veſperi.

Martin⁹ à Schaumberg ſuccedit Eberhardo ab Hiernhaim.

Ampliauit aream arcis.

Videre licet in hoc Epiſcopo antiquę virtutis & fidei, vt Comici vtar verbis, pietatisq; viuum exemplar. Nihil in eo fucatum, fictumúe, ſed ſincera, candida & aperta omnia: in ſumma tranquillitate regit, & in pace perpetua ſuos conſeruat ſubditos, nullisque grauioribus eos onerat exactionibus, niſi fortè ſumma neceſſitas, & totius imperij Germanici ſtatus id exigat. Nullus neque in veſtitu, neque

que in victu luxus, ſed decorus vterque, honeſtus, frugalis & principe viro dignus. Nullum inſolentiæ in eo indicium, ſed mira humanitas, & affabilitas, qua non ſuos tātùm, ſed & exteros, & quidem Principes viros in ſui & reuerentiam & amorem facile pertrahit, ſubditos in officio ſumma cum liberalitate retinet; nō ignarus procul dubio veterrimi illius dicti: oderunt, quem metuunt. Et vt paucis comprehendam omnia, eiuſmodi omninò eum, ſine omni metu, & adulationis crimine, auſim pronunciare; qualem D. Paulus deſcripſit Epiſcopum, ἀνέγκλητον, ὡς θεοῦ οἰκόνομον, μὴ αὐθάδη, μὴ ὀργίλον, μὴ πάροινον, μὴ πλήκτην, μὴ αἰσχροκερδῆ, ἀλλὰ φιλόξενον, φιλάγαθον, σώφρονα, δίκαιον, ὅσιον, ἐγκρατῆ, ἀντεχόμενον τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου; &c. id eſt, irreprehenſibilem, tanquam Dei œconomum, non præfactum, non iracundum, non vinoſum, non percuſſorem, non turpiter lucro deditum. Sed hoſpitalem, bonarum rerum ſtudioſum, ſobrium, iuſtum, pium, temperantem, tenacem eius, qui ſecūdùm doctrinā eſt, fidelis verbi. &c.

Collegium inſtituit.

Anno Domini 1564. prudentiſſimus, & religionis Eccleſiæque Dei amantiſſimus Epiſcopus, cùm ex Concilij Tridentini decreto, tum etiam in Epiſcopatus ſui, religionis Catholicæ, & ſubditorum incolumitatem & ſalutem, cùm magna Presbyterorum bonorum & idoneorū laboraretur penuria, ſatis magnificum in vrbe ſua Epiſcopali ſeminarium, collegiumque extruxit, in quo literæ humaniores, Philoſophia, & prima Theologię docerētur fundamenta, ſatiſque iuſto in numero etiamnum ibidem alit liberaliter alumnos. Prodierunt iam ex eo Collegio multi boni viri, & pij Sacerdotes, qui hinc inde in paręcias per Epiſcopum diſtributi, ſtrenuè in Chriſti vinea laborant, fideliterque ſuis præſunt ouiculis. Primus inter Epiſcopos Germaniæ ſuperioris fuiſſe dicitur, qui tam lauda-

bile Concilij decretũ, institutumq; est ꝓsecutus, quem pauci adhuc sunt imitati. Doctos, & pios alit Professores. Inprimis numerãtur Dñs Rhodolphus Cleckh Præses & Theol. Professor, Ioannes Lyresius, Ioãnes VVidmerus,

Subsequentibus annis docuerunt ibidẽ VVolfgangus Holl, S. Theologię Doctor & Suffraganeus, Ioannes Ertlinus, qui etiam Ecclesiastæ fungebatur officio, Fridericus Martini, VVolfgangus Scherelius, Iacobus Rasperger, Cyprianus Lyresius, Petrus Steuartius, qui nunc præsidẽ agit ibidem in Collegio, Ioannes Heyss: & quidam alij, tam eruditione, quàm vitæ integritate præstantes viri. Nos prædicto Episcopo in prima nostrorum annalium editione eiusmodi posueramus Hexastichon.

Viue pater patriæ, Princeps, assertor auitæ
Virtutis, pietate potens, sacraq; parentum
Relligionis Atlas; iam te pene acta gerentem
Bis duo lustra pedum accipiunt, sacramq; Tyaram.
Viue Pater, Musasq; colas, Musasq; colentes
Subsidio Princeps semper tueare benigno.

Bulla Pij Quarti Pontificis publicatur Ingolstadij.

Sub hoc ipse Præsule, Anno 1568. die 23. Martij promulgata est in Academia Ingolstadiensi Bulla Pij 4. summi pontificis de professione fidei, reclamãtibus, aut certè ægrè ferentibus Lutheranæ doctrinæ studiosis, quibus ea via omnis promouẽdi, & cuiuscunq; tituli Scholastici recipiendi apud Ingolstadienses occasio præcidebatur. Frequenter eò concedebant Lutherani studiosi temporibus superioribus, & gradus ibidem recipiebãt, nihil & Imperatori & sedi Romanæ suam fidem astringere, vti tum erat moris, veriti: consule hac de re nostros annales.

Anno Dñi 1570. die 19. Ianuarij, moritur reuerendus vir ac Dominus Georgius Theander Doctor Theologus, Professor & Procancellarius in eius locum subrogatur.

PRO-

PROCANCELLARIVS IX.

Procancellarius Doctor Martinus Eisengrein.

REuerẽdus nobilis & amplissimus vir ac Dominus Martinus Eisengrein, Parochus apud D. Mauritium, Præpositus Patauiensis, & Oetingensis.

Sub eodem Episcopo, Anno Domini 1578. die 4. Maij placidè in Christo obdormiuit, Reuerẽdus & Amplisss. vir Dominus Martinus Eisengrein &c. Cui & in suprema Sholæ inspectione, & Procancellariatu, Canonicatuque Aichstadiano succedit.

PROCANCELLARIVS X.

Procancellarius Doctor Albertus Hungerus.

REuerẽdus & doctissimus vir ac Dñs Albertus Hungerus, D. Theologus, Professor & Scholę superintẽdens.

Quem si diua virum seruabunt numina, quantum
Proh vetus illa Schola se extollet gloria nostra?

Sed de hoc ipso paulò pòst plura in mediũ adferemus. Et hæc de Cancellariis nostris, Episcopis Aichstadianis sufficiant.

INGOLSTADIANÆ ACADEMIÆ
PARS TERTIA DE PRINCIPIBVS.

LVDOVICVS COGNOMENTO DIVES COMES PALATINVS RHENI, DVX BAVARIÆ &C. FVNDATOR ACADEMIÆ.

DESCRIPTVRVS cùm in Academiæ Ingolſtadianæ, tum verò inclytæ Bauaricæ domus honorē & gloriam, à prima Scholæ fundatione ad hæc vſque tempora, Illuſtriſſimos Principes, cæterosque tum natalium ſplendore, tum etiam ingenij præſtantia, eruditionisque fama clariſſimos viros, iuuenesque, qui ex diuerſis orbis Chriſtiani partibus ad hanc noſtram Academiam, ſtudiorum gratia profecti, eam illuſtrârunt; non abs re facturus mihi videor, ſi ab ipſis Academiæ fundatoribus & benefactoribus, hoc eſt, Sereniſſimis Principibus LVDOVICO diuite, Boiorum Duce, parente, & Georgio itidem diuite cognominato, eiuſdem filio, dictionis meæ faciam initium, non quod vel integram ipſorum vitam, præclareque geſta velim pertexere, aut eoſdē, ſecundùm virtutes ſuas, meritaq; penè diuina, iuſtis digniſque poſſim ornare encomiis: id quod longè vires ingenij mei ſuperat, ſed ne in tantos heroës, tamque de non omnibus tantùm literatis, ſed & de tota Chriſtiani Orbis Republica bene meritos, ingratus videri queam.

Ludouici Principis vita ex Auentino.

Et ne æmulis carpendi occaſionem præbeam, audiamus pauca, quæ de LVDOVICO ſcribat Auentinus. Natus eſt, inquit, Anno Chriſti 1417. ſorore Alberti Cæſaris (fuit is eius nominis Quintus Archidux Auſtriæ, & Imperator ſecundus) Burckhuſij, ibique educatus ſub duro & illiberali patre, vſq; ad annum ætatis triceſimum, multa perpeſſus penuria veſtium, pecuniæ, equorum, obſequentiſſimus tamen parenti fuit. Suadentibus amicis, vt in Auſtriam ad Albertum Cæſarem auunculum ſuum diſcederet: autorem vitæ meæ, inquit, deſeram? (pia profectò & filio vox digniſſima) nec quoad mentis compos fuero, offendam. Haſta eminus, cominus gladio, ſaltādo, diſco,

disco, equitando se exercuit occultè. & quæ ibi sequuntur. Hæc Auentinus lib. 7. fol. 832.

Mortuo Henrico, Anno Domini 1450. successit in regimine parenti auaro, vt idē loquitur Auentinus, eximiæ in omnes liberalitatis filius, & præter cætera, quæ in Bauaria sua, in subditorum suorum commodum & incremētum vel abrogauit, vel de nouo constituit, statim ad erigendam Academiam animum adiecit. Nec sanè probabile mihi videtur, quod quidam existimant, à parēte eius Serenissimæ Celsitudinis Henrico Scholam Ingolstadianam primitus inchoatam, aut in illius erectionem tantas ab Hērico fuisse diuitias corrasas, cùm fuerit parcissimus, vt cum Auentino minimè loquar, verùm illud libenter damus omnibus, & res ipsa loqtur, Ludouicum Ducem, qua pietate, sapiētia & liberalitate fuisse scribitur, piè itidem & sapienter de tantis sibi relictis opibus bene, pieque & sapienter collocandis, defuncto parente cogitasse ilico, nec occurrisse illi commodiorem de Ecclesia Dei, & tota Christiana Rep. bene merendi occasionem, quàm si publicum bonarum literarum mercatum & officinam institueret, præsertim tot iam tum quoque subinde nouis exorientibus, antiquis repullulantibus hæresum erroribus schismatibusque.

Ludouicus primus Academiæ fundator, & non Henricus.

Et sanè quàm maximè in primis Scholæ initiis & paulò pòst floruit S. Theologiæ studium. Hoc vno sanè Princeps ille perpetua memoria, encomiisque amplissimis, & immarcessibili in æterna patria corona dignissimus, si prętereà præstitisset nihil.

Cæterum ab eodem Auentino, vt quantum parenti ademerat, tantum videatur tribuere filio, scribitur fuisse liberalis, popularis, fortunatus, pacisque studiosissimus, & in componendis sedandisque Germaniæ tumultibus bellisque summè fœlix.

Obiit Anno Domini 1479. die octauo Ianuarij, egregium ac planè regium ac perenne suæ liberalitatis, & propẽsissimæ in Ecclesiam Dei & religionẽ Catholicam, bonasque literas voluntatis monumentum apud Ingolstadienses post se relinquens.

Nunc quoque sed meriti cælo stat gratia tanti,
Et positus super astra heros in pace triumphat,
Aspectuq; Deûm fruitur: seclusit acerbas
Pectore iam dudum curas, humanaq; cuncta
Negligit æthereæ media inter gaudia sedis.
At bene quas statuit Princeps, nos postera turba
Seruemus tantas, veneremur, amemus Athenas,
Pro meritisq; Duci fundamus pectore grates.

GEORGIVS COGNOMENTO DIVES COMES PALATINVS ET DVX *Bauariæ.*

GEORGIVS Comes Palatinus Rheni & Boiorum Dux itidem cognomento Diues, Ludouico patre ex Amelia Friderici vndecimi Ducis Saxoniæ, & Electoris secundi filia natus. Parente suo siue pietatem, siue prudentiam, siue libertatem, aliasq; id generis virtutes, siue deniq; opes & fortunæ bona respicias, neutiquam inferior. Princeps ab omni luxu alienus, pius & religionis Catholicæ amantissimus, erga suos clemens, mitis, humanus & liberalis.

Errores Lazij Historici.

Hoc loci præterire non possum, quin Lazij Historici lectorem admoneam, tres simul ab eodem autore in vno pene loco errores committi. Nam primùm licet, & quidẽ rectè, alibi Ducis Georgij parentem vocat Ludouicum

cognomento diuitem, filium Henrici Landishutani: tamen idem paulò pòst in dubium trahit, & alterius Ludouici diuitis, qui Stephano Ingolstadiano fuerit natus, filiũ pronunciat: & rursùs alio in loco auum facit Ducis Georgij Ernestum Monacensem. Deinde fratrem eidem Duci Ludouicum attribuit; denique fundationem Academiæ illi tribus in locis asscribit. Sed hæc parerga.

Fuit hic Princeps perquàm clemens suæ Academiæ protector, pius & in religionem Catholicam, bonasq; literas optimè affectus, vtpote qui nõ obscurè intelligebat, veluti in suæ fundationis pro Collegio nouo literis ipsemet asserit, cognitione honestarum artium & literarum, humanum intellectum illustrari, & ad virtutes excitari, bonos mores constitui, Catholicam religionem plantari, propagari, conseruari, deniq; quibuscunq; hæreticis contra iri. Proinde in honorem Dei omnipotentis, D. Mariæ Virginis, omniumq; cœlituum, in pauperum solamen & leuamen & suorum antecessorũ salutem, Collegium nouum, quod ab ipsius nomine Georgianũ vocamus, ædificauit, & in eodem duodecim stipendia pro diuersis Bauariæ oppidis piè ac benignè fundauit, ac salutaribus legibus ac statutis, quibus iuuentus ad pietatem, morum integritatem, & bonas literas perduceretur, sapienter muniuit.

Georgius fautor studiorum.

Fundator Collegij noui.

Obiit, piissimus ille Princeps Ingolstadij, cùm suæ liberalitatis & clementiæ, tum apud Academicos, tum etiã ciues Ingolstadianos monumẽta reliquisset & amplissima & piissima, quinto die Decẽbris, Anno Domini 1503. Exenteratũ est cadauer, & viscera apud D. Virginẽ in Principũ Bauariæ recõditorio sunt sepulta, cadauer verò ipsum Landishutam deuectum & in maiorũ suorum sepulchro repositum. Atq; in hoc Principe, linea Ducum Bauariæ Landishutanorũ defecit, vtpote qui vnam tãtum genuisset filiã, Elisabetham nomine, Ruperti Palatini coniugẽ.

FRIDE-

FRIDERICVS ET GVLIELMVS MARCHIONES BRANDENBVRGENSES &c.

INTER Principes viros, & Illustrissimos Duces, primi Academiam nostram, celebritate procul dubio eiusdem exciti, illustrârunt Senissimi Principes ac Domini, Dominus FRIDERICVS, & Dominus GVLIELMVS, Marchiones Brandenburgenses, Duces Stetini, Pomeraniæ, Sclauorum & Cassubiæ: Burgrauij Norinbergenses, Principes in Rugen &c. fratres German: irelati in Album Vniuersitatis, Anno Domini 1514. mense Maio; dederunt operam literis sub præceptoribus Vdalrico Paur de Parreut, concionatore in Nertingen, & Ioanne Förtz, de Kullnpach, vtroq; presbytero. Id quod ego singulariter volui añotare, ꝓpterea quòd cùm ad bonos mores, tum etiam pietatem plurimum referat, sub quibus quisque instituatur præceptoribus.

Friderici Marchionis Brandẽburgensis fi ij.

Parens eorum erat Fridericus Marchio Brandenburgensis, & Burggrauius Norinbergensis, qui pręter hos etiã alios liberos ex Sophia, Casimiri Ducis Lithuanię, ac pòst in regem Poloniæ postulati, & Anno Domini *1492.* piè ac Catholicè in Christo defuncti, filia progenuit, nempe Casimirum, Georgium, Ioannem, & Albertum.

Fridericus Præpositus Herbipolensis. Rector Vniuersitatis.

FRIDERICVS, de quo nunc loquimur, Præpositus fuit Herbipolensis, & si Latzio credimus, Canonicus Salisburgensis, Rectorémque Vniuersitatis egit, Anno Domini 1515. electus die *24.* Aprilis. Is tanti fasces Academicos & Rectoratũ fecit, vt quanquam ab initio tergiuersaretur, nec in electionem, ob causas grauissimas, iustissimasque

masque velle consentire videretur, precibus tamen Patrũ Academicorum diutiùs reluctari, arbitraretur indignũ. Itaque Rectoratum suscepit, cumque cum honore summo gessit. Erat verò tum temporis molestum gerere magistratum Academicum, vt pote qui integrum administrandus erat annum.

Nondum absoluto Rectoratus tempore, Vicerector ab Academia discedit, & Serenis. Princeps ipsemet reliquo temporis spacio Rectoratum, & negotia Vniuersitatis per aliquot menses, sine Vicerectore, non sine laude & Academicorum admiratione administrat. Qui in matriculam eius anni studiosos scribendo retulit, id illi Principi encomium tribuit, quòd totius Vniuersitatis decus & virtutum exemplar fuerit.

Negotia Vniuersitatis ipsemet administrat.

Dominus Gulielmus Rectoratum gessit Anno 1516. die 18. Octobris electus, cùm annuus iam desiisset magistratus. Eum scribit Latzius cum tribus aliis fratribus, Ioanne, Alberto, & Gumperto in iuuentute obiisse. Alij, & forte meliùs, cùm aliquandiu cum fratre Alberto, Teutonici ordinis supremo magistro, & primo Duce Prussiæ vixisset, Anno Domini 1547. Archiepiscopum Rigensem creatum tradunt. Studiorum comitem habuêre Serenissimum Principem Ernestum Comitem Palatinũ, & Ducem Bauariæ &c. de his eiusmodi autoschediasma lusi.

Gulielmus Marchio Rectoratum gerit.

Error Latzij de Gulielmo.

Fit Archiepiscopus Rigensis.

Fœlices animæ, natæ melioribus annis,
Ante suum terras quàm non medicabile virus
Spargeret in vestras, monstrum deforme, Lutherus.
Verum infausta dies & ineuitabile fatum,
Quod nostra culpa, superisq; accersimus vltrò
Sæpius inuitis, totum labentibus annis
Saxonis implicuit diris erroribus orbem.
Vos aspexissent vtinam pia numina cœli

Et tantam, heroes, vestro de limine pestem
Diui auertissent: sed cur te credere par sit,
Antiquos Diuûm cultus, veteremq́ nefandè
Deseruisse fidem, Dunam qui Præsul ad amnem
Pastorale pedum, & sacram Gulielme tyaram
Gestasti capiti impositam? Neque credulus illis,
Si qui forte pater mutatam in corpore mentem,
Mutatamq́ fidem dicant, cum plenior ætas
Venerat, ô Federice, tibi: tu nanque professus
Es Canonas, summaq́ ædis, quâ Manus inundat
Mœnia, Præpositus fueras: durabile sed nil
Est hominum & cunctas animus mutatur in horas,
Dulceq́ Relligio cælat sub melle venenum
Saxonicisq́ fides iam dudum effusa Mycenis.

DE ERNESTO DVCE BAVARIAE.

SVB Rectoratu Illustrissimi Principis ac Domini Friderici Marchionis Brandenburgensis &c. accessit ad Academiam nostram Serenissimus & Illustris. Princeps ac Dominus, Ernestus Comes Palatinus & Dux Bauariæ, Alberti quarti ex Khunigũde Archiducissa Austriæ, Imperatoris Friderici tertij filia, & Maximiliani primi sorore filius: Gulielmi quarti, & Ludouici Landishutani frater, natuq; minimus. Rectoratus dignitate perfunctus est, Añ0 1516. die 24. Aprilis electus, sub cuius administratione annuus magistratus esse desiit, forte quia & Principibus viris & Academicis integrum annum occupari, distrahique non erat commodum.

Cùm

Cùm exteras perlustrasset regiones vocatur ad Episcopatũ Patauiensem, Anno Dñi 1517. successitq; in Episcopatus administratione VViguleo ex nobili & ingenua Froscheliorum familia nato &c. Impetrauit, referente id Bruschio in libello de Episcopis Patauiensibus, vnde pleraq; quę ad illius Episcopatus administrationẽ pertinent, desumpsi, à summo Pontifice, vt à maiorum ordinũ initiatione posset immunis esse, & ea ratione Serenis. Princeps 23. Años Episcopatui Patauiensi, magna cum laude, & totius Episcopatus summa cum vtilitate præfuit. Ditiones enim & prædia ab antecessoribus forte propter temporũ iniuriã alienata, aliisq; oppignorata redemit, Ecclesięque restituit, reddens Deo, quæ Dei erant. Vrbana ædificia magnificè curauit, & in iis instaurãdis haud exiguos fecit sumptus. In anabaptistas aliosq; eius tẽporis hęreticos grauissimè animaduertit, & partim viuos igni cremãdos tradidit, partim vero, & præsertim eos & quidẽ supra triginta, qui à Liechtenstainio regulo in exiliũ acti, Patauiã cõfluxerant, carceri mancipari iussit, donec triennio elapso pleriq; morerẽtur. Ciuibus verò ita fuit gratus, propterea quòd ipsorũ cõmodis vehemẽter studebat, vt multas inter se & senatum ciuicum lites ac controuersias sopiret. Hæc de ipsius Serenis. Principis admistratione Patauiensi.

Fit Episcop. Patauiensis. *Administrauit Episcopatũ Patauiensẽ añis 23.* *Beneficia Ducis Ernesti in Episcopatum Patauiensem.* *Animaduertit in Anabaptistas.*

Vocatur ad Archiepiscopatũ Salisburgensem Anno 40. Sed ea de re audiamus quæso, quæ Ioannes Albertus VVidmanstetter, vulgò Lucretius dictus, apud Münsterũ in Catalogo Archiepiscoporum Salisburgensium refert, ea cùm ad Archiepiscopatus administrationem, tum etiã reliquam vitæ illius partem faciunt.

Fit Archiepiscopus Salisburgensis. *Albertus VVidmanstetter quid de Ernesto scribat.*

ERNESTVS comes Palatinus Rheni, & Bauariæ Dux &c. à Ioanne Auentino viro doctissimo bonarum artium rudimẽta hausit, Iasonem Maynum Ticini paucis diebus audiuit, in iuris scientia non vulgariter profecit. Mathe-

Ernesti Ducis Bauariæ Præceptor Auentinus. *Dedit operam Iuri.*

maticas disciplinas amauit, & fossilium metallicorum tã-tam est assecutus notitiam, quantam in tota Germania quisquam alius. Gulielmo fratre Bauariç dominatum appetente & obtinente, Ernestus aliquandiu multa regna & prouincias, veluti priuatus aliquis ex infima nobilitate oberrauit, seque Ioannis Malentini equestris ordinis hominis, & pòst Episcopi Seccouiensis in ea peregrinatione ministrum præbuit, atque hac dissimulatione Lutetiam venit, vbi die quodam à Francisco rege conspectus, & se proditum ratus, cum suo Malentino in Saxoniam profe-fectus, inde Pataviã, vbi Episcopus erat designatus, mortuoque Matthæo Lang, &c. Archiepiscopo postulatus fuit à Salisburgensibus Archiepiscopus.

Peregrinatur.

Ecclesias, quas hactenus rexit, Patauiensem & Salisburgensem, partim ære alieno liberauit, partim opibus, redditibusque maximis auxit. Princeps fuit laboriosissimus, qui noctu diuque supplices suorum libellos atque querimonias legit, decreuit, decreta dictauit, aut præscripsit amanuensibus ipse nonnunquam, summaque tranquillitate prouinciam suam sine exactionibus & oneribus gubernauit. Hæc ille.

Beneficia eiusdẽ in vtrumq; Episcopatum.

Quibus hæc addenda arbitror, quæ egometipse puer vidi; erat Princeps ille ab omni luxu alienus, nõ nisi necessarium alens famulitium, tubicinem tãtum habebat vnũ, quo fere nunquam domi, rarò foris vtebatur. Victitabat frugaliter, & pene præter consuetudinem Principũ, cùm esset & naturæ validæ, & corporis robusti: vnde magnas sibi congerebat diuitias, aurifodinis non infœliciter illi affluentibus. Fidebat suis perquàm facile, vnde non exiguam interdum iacturam faciebat.

Frugalitas Principis.

De eius in religione Catholica zelo, eiusque incolumitate tuenda feruore, illud etiam tacere non possum, quòd

Zelus in Religione.

quòd aliquando puer adhuc plaustrum ingens sacerdotibus coniugatis onustum, & cathenatis Salisburgum in arcem Episcopalem duci vidi. Quidam ex illis morbo gallico laborare, quidam calculo dicebantur, qui tamen omnes, posteaquam impensis Archiepiscopi sanitatẽ recuperâssent pristinam, abiurata hæresi, è vinculis sunt dimisi, præter vnum pertinacem in hęresi, cui nomen erat Leonhardus, qui multis pòst annis in libera custodia retentus benigneque tractatus, ibidem est mortuus.

Resignauit ad manus Capituli Archiepiscopatum Anno 1554, & secessit in suum comitatum Glacensem ad Syluam Bohemiæ, quem paucis ante annis coẽmerat, magnam vim auri & argenti & ingentes secum auehens diuitias. Ibi priuatam & secularem agens vitam diem extremum vitæ suæ clausit. Comitatus vero Serenis. Duci Bauariæ Alberto cessit, quanquam & Dux VVirtenbergensis, nepos ex sorore aliquam bonorum partem sibi vẽdicabat: sed per prudentes arbitros res ea fœliciter fuit cõposita,

Resignauit Archiepiscopatum.

Nunc tenet æthereos inter cælestia ciues
Pro meritis Dux regna suis, ceu credere fas est.
Quem puer, & flueret quando mihi iunior ætas
Sæpe oculis coràm aspexi: quanta illius ori
Heu grauitas inerat, cùm dependebat ab alto
Purpura Romanæ collo data munere sedis,
Augustaq; sacris pater assistebat in æde.
Non tamen hoc ipso Princeps humanior alter,
Diuitibus pariter, pariter pater æquus egenis,
Nec quenquam exclusit venientem ianua, quisquis
Illius deposcit opem, pressusq; leuamen.
Ergo sydereas tanti mens inclyta sedes
Principis obtineat, & sit bene manibus, omnes
Dicamus pariter, pietas quibus aurea cordi.

GEORGIVS LANDGRAVIVS IN LEVCHTENBERG.

ANNO Domini 1518. mense Aprili venit ad Academiam nostram studiorum gratia Illustrissimus Princeps ac Dominus, Georgius Landgrauius Leuchtenbergensis, ac Dominus in Gruensfeld & Pfreimbd &c. Rectoratum gessit æstiualem Anno Domini 1519. quem honorem communibus Academicorum votis sibi oblatum, gratissimo animo, ac reuerenter accepisse scribitur.

Georgius Landgrauius rectoratum gerit.

Genuit ex Barbara Marchionissa Brandenburgensi Ludouicum Landgrauium in Leuchtenberg & Comitem in Hals, qui superioribus annis mortuus vnicum nobis filium Georgiũ Ludouicum Landgrauium (hoc vnico satis superque ille fœlix) ex comitissa Arenbergensi natum reliquit.

Error Lazij in Genealogia Leuchtenbergensium.

Non possum hoc loci, tam opportuna data occasione præterire, quin historiarum Latzij Viennensis lectorẽ admoneã, sine tamen viri calumnia seu iniuria, videri mihi, in Genealogia Leuchtenbergensium errorem ab illo cõmissum. Nã Georgium præsentem filium Alberti secundi vnâ cum Ioãne & Friderico ponit: Albertum vero Friderici Quinti & hunc Alberti primi. Ego ex alia genealogia eiusmodi duco lineam: quod Georgius fuerit Ioannis filius ex Domina Margaretha Comitissa à Schvvartzenburg. Obiit Ioannes Anno 1531. Gruensfeldiæ. Coniunx Anno 1517. Ioãnes vero Friderici ex Dorothea filia Burggrauij de Reineck. Obiit Fridericus 1487. Hæc vero 1503. Fridericus Leopoldi, qui Sigismundo Romanorum Imperatori à Consiliis fuit, Et hic Alberti, qui Vdalrici tertij filius

Alia eorundem Genealogia.

filius fuit. Georgius de quo in pręſenti agimus Anno 1555. obiit, Marchioniſſa verò 1552.

IOANNES LANDGRAVIVS LEVCHTENBERGENSIS.

SVB Rectoratu Nicolai Apellis Eguelis, SS. Theol. Doctoris acceſsit ad noſtram Academiam, Anno Domini 1523. menſe Iunio, Illuſtriſsimus Princeps ac Dñs Ioannes Landgrauius in Leuchtenberg &c. quem minorennem fuiſſe teſtatur Vniuerſitatis matricula. Iuxta Latzium frater fuit Domini Georgij Landgrauij, & fieri ſanè id potuit, quantumuis Lazius alium parentem, quàm noſtra Genealogia vtriuſque ponat.

Fuit ex hac familia Anno 1328. Epiſcopus Aichſtadianus, quod neutiquam præterire debui, Fridericus eius nominis in Epiſcopatu tertius, cùm antea Lanckheimenſis & Eboracenſis in Franconia fuiſſet Abbas. Claruit ea gẽs tam belli, quàm pacis artibus. Fuit enim Adalramus anno 1260. Henrici Ducis Bauariæ Dux copiarum contra Ottocarum regem Bohemiæ, & ducem Auſtriæ. Quin etiã à Latzio Chunradus, & Ioannes Epiſcopi commemorantur, quos tamẽ Barones à Leuchtenberg vocat Bruſchius.

Epiſcopus Aichſtadianus ex familia Leuchtenbergenſium.

Adalramus Dux militaris.

Sed forte hæc ipſa Landgrauiorum Leuchtenbengẽſium Genealogia, Deo propitio aliquando prodibit integra. Et certe optandum foret, vt omnium Principum Genealogias acuratiùs & perfectiùs poſſemus habere, vt nepotes ſuorum maiorum intuerentur res geſtas, nec paterentur tantam gloriam, quam à maioribus omni hæreditate maiorem accepere, deſidia luxuque interire, ſed ipſorum exemplo ad virtutem, & res præclarè gerendas excitarentur.

ALBER-

ALBERTVS QVINTVS DVX BAVARIAE.

Albertus Dux Bauariæ nascitur.

ALBERTVS Quintus, Comes Palatinus Rheni, & vtriusque Bauariæ Dux, patriæ pater, nascitur Anno Dñi 1528. circa Calēdas Martias, Dominica Inuocauit, patre Gulielmo Boiorum Monarcha, ex Iacoba Marchionissa Badēsi, quæ etiānũ Heroina in grandæua, sed ea adhuc vegeta senectute viuit, & vel eo nomine fœlicissima & posteritati commendanda, quòd simul & semel & mater esset, & auia & proauia. Mater Alberti Ducis Bauariæ, & Sidoniæ Marchionissæ, Gulielmi, qui nunc rerum potitur in Boiaria: Ferdinandi, & Ernesti, fratrum Germanorum, & Philippi Marchionis Badensis, eiusque Illustrisimæ Celsitudinis duarum Sororum auia: Gulielmi verò Ducis liberorum proauia: quæ res sanè (vt hoc quasi per transcursum addã) est admirabilis, paucisque eam fœlicitatem his exulceratis, extremisque temporibus, quibus & naturę vires & animi, corpora & ætates vitaque hominum incipiunt deficere, ac diminui, videmus contingere, vt filios filiasque, nepotes & pronepotes, neptesque & proneptes simul intueantur, Verùm hoc ipsum Serenisimæ Ducissæ pietati & bene meritis à Deo Opt. Max. clementer tributum planè arbitror.

Iacoba Marchionissa Badensis, mater, auia, & proauia simul.

Frater Alberti Theodo.

Fratrem habuit Theodonem, qui natus est Anno Domini 1526. Sabbatho Quinquagesimæ, hora quarta pomeridiana. Præceptor eius fuit Matthias Rötter, qui vnâ cum suo Duce in VVolfratzhausen obiisse scribitur.

Accesit Serenisimus Dux Academiam suam Anno Domini 1537. mense Septembri. Habuit in suo comitatu nobiles

nobiles viros, iuuenesq; VVilhelmum de Geckeritz, Ioannem Henricum de Neüneckh, Christophorũ de Kutschern, Gulielmum de Schellenberg & VVolfgangum Theodoricum de Muckhentall.

Circa annum ætatis suæ quintum & decimum sextum, nisi me temporum computatio fallat, legali studio dedit operam, & in Institutionibus Iuris præceptorem habuit, publiceque docentem audiuit, clarissimum virum ac Dominum VVolphgangum Hungerum Iuris vtriusque Doctorem & Professorem Ordinarium, de quo tomo secundo plura, vnâ cum Serenissimo Principe, Vdalrico Duce Megalopolensi, studiorum ipsius perpetuo comite.

Dat operam iuri sub Præceptore D. VVolfgango Hungero, Institutionum Ordinario.

Discessit ab Academia Anno 1544. mense Septembri. Discedenti idem, quo in studiis publico vsus erat præceptore, Dominus Hungerus, Vniuersitatis nomine Valedixit, omniaque precatus fœlicia, quemadmodum, sed diuerso in casu, eidem Principi, ex hac lachrymarum valle digresso filius Albertus Hungerus, Professor Theologus & Procancellarius, funebri oratione in tricesimo postremum itidem dixit vale.

Discedit ab Academia.

Valedicit discedenti Dominus Hungerus.

Cùm iam adoleuisset, parens rerum experientia, prudentiaque clarissimus, & de futuris etiam, & in prouinciæ administratione de vnico successore paternè sollicitus, de coniugio ineundo cogitauit, iunxitque illi matrimonio Serenissimam Principissam, ac Dominam, Annam, Vngariæ, & Bohemiæ reginam & Archiducissam Austriæ &c. Augustissimi & piissimi Imperatoris Ferdinandi primi, tum temporis Romanorum Regis filiam (quæ 10. die Iunij, hora quarta antemeridiana, Anno 1529. Pragæ nata fuit) vno tantùm anno suo sponso natu minorem, curante idipsum & procurante inuictissimo Imperatore Carolo V. Diui Ferdinandi sponsæ parentis fratre.

Contrahit matrimonium.

Celebrat nuptias Ratisbonæ. Magnificentissimas celebrauit nuptias Ratisbonæ Anno Domini 1546. in ipsis comitiis, & sub Schmalcaldici tumultus belliq; initiis, præsentibus sponsæ patruo Imperatore, & parente Ferdinando Romanorum rege. Pacata iam per Imperatorem Germania, hostibusq; deuictis & captis, Anno 1549. piè in Christo obdormit Serenissimus Princeps Gulielmus, Comes Palatinus Rheni, & Dux Bauariæ; defunctoq; parenti in paterni regni ac Ducatus possessione, administrationeque succedit Serenis. Princeps Albertus filius.

Moritur eiusdē Parens Dux Gulielmus, cui Albertus filius succedit.

Alberti filij & filiæ. Suscepit ex augustissima coniuge liberos septem, scilicet filios quinque & filias duas, nempe Carolum, Gulielmum, Ferdinandum, Fridericum, Ernestum, Mariam & Mariam Maximilianam. De Gulielmo, Ferdinando, & Ernesto dicam in sequentibus. Carolus nascitur in arce Starenbergo, ad lacum vermicularem, seu verrinum Anno Domini 1547. die 6. Septembris intra horam quintam & sextam matutinam in Geminis. Obiit, vt opinor, infans. Maria, quæ quarta erat proles, nascitur Monaci Anno Domini 1551. die Martij, hora octaua matutina, in Libra. Nunc temporis coniunx est Serenissimi Principis ac Domini Caroli Archiducis Austriæ, Ducis Styriæ & Carinthiæ. Maria Maximiliana nascitur Monaci Anno Domini 1552. die 3. Iulij, circiter mediam noctem in Sagitario. Fridericus proles in ordine sexta, nascitur itidem Monaci Anno 1553. die 26. Iulij, hora tertia matutina in Piscibus. Obiit Anno 1558. die 18. Aprilis intra 6. & 7. horam antemeridianam & in monte Sancto sepultus est.

Carolus primo genitus filius.

Maria nascitur.

Maria Maximiliana.

Fridericus.

De Alberto plura. Quanta Principis illius Alberti, piæ memoriæ, in totum imperium beneficia, quanta apud omnes Pontifices sui temporis, & Imperij Principes ac status autoritas, res ipsa

ipsa palam loquitur, hoc vnum addidero, non quidem solius, sed tamen maiori ex parte Alberti Principis beneficio, cura, impensis & autoritate fœdissimum illud libertatis monstrum (Germani appellant **Freystellung**) quod præsentissimam Ecclesiæ & religioni Catholicæ perniciem afferebat, in proximis Ratisponensibus Comitiis, Anno Domini 1576. profligatum & extinctum, magno quidẽ cum hæreticorum dolore, Catholicorum verò gaudio ineffabili.

Benemerita in Ecclesiam.

De tota Ecclesia & Religione Catholica, cuius fuit propugnator inuictissimus, nihil dicam, cùm de ea re luculentæ Vniuersitatis Orationes funebres extent, tantùm quæ suæ præstiterit Bauariæ, paucula quædam adferam.

Primò Bauariam suam, quam haud parùm hæresum errores inuaserant, magno animi feruore, studio irremissibili, sumptibus maximis, & celeritate incredibili ita repurgauit, hæresesque vsque adeo radicitus euulsit, vt ne spes quidem sit hæreticis, Catholicis verò repullulandi metus nullus.

Repurgat suam Bauariã ab Hæresi.

Ad religionis Catholicę incolumitatem facit & illud, quòd seminarium instituit Ingolstadij: vnde quotiescunque opus esset in Ecclesia, tanquam ex penu locupletissima, ministri & pastores possent depromi.

Instituit Seminariũ Ingolstadij.

Duo eximia Collegia (quod & ipsum ad religionem pertinet) reuerendis patribus de Societate IESV non ostentationis ergò construxit, sed vt essent affatim, qui pro Ecclesia DEI continuò decertarent, exemplo ac doctrina religionem docerent, alerent, amplificarent & stabilitam conseruarent. Ex iis est magis præ-

Collegia patrũ de Societate.

cipuum Ingolſtadienſe, ſecundum Monacenſe. Eſt verò & tertium Landiſpergenſe, in amœniſſimo colle, impenſis Comitis ab Helfenſtain, qui Præfectum ibi agit, præcipuè conſtructum.

Ditauit Albert⁹ Ecclesiam Oetingensem.

Donauit Eccleſias munificentiſſimè, præſertim verò Oetingẽſem, poſteaquam ex ſęuiſſima tempeſtate vermicularis, ſeu verrini lacus, cùm iam de vita deſperaſſent omnes, Diuino auxilio & Beatæ Mariæ interceſſione & patrocinio liberatus eſſet, procul dubio & tanto cõmotus prodigio, & vt pro conſeruata ſalute Diuinæ Maieſtati, & Deiparæ virgini qualeſcunque gratias ageret.

Muſica eiuſdẽ.

Muſicam ita eximiam & exquiſitam habuit, vt cum ſummis etiam orbis terrarum Monarchis ſi non certare, ſaltem iiſdem æquiparari poſſet.

Bibliotheca Monacenſis.

Bibliothecam inſtituit Monaci præſtantiſſimam, itaque & varietate & copia librorum inſtructam, vt ſuperior nullibi terrarum haberi prædicetur.

Arces regiæ.

Pulcherrimas aliquot & planè regias arces ac domos hinc inde in ſua Bauaria partim conſtruxit, partim etiam ornauit, auxitque. Ex quibus, vt paucas tantùm referam, eſt arx Dachau, Starenberg, Iſereckh, & domus Ducalis Landishutæ.

Prouincias ſuas, non ſine omnium admiratione, ſingulari ſua prouidentia, cùm pacis eſſet amantiſſimus, ab omni bellorum tumultu ita ſemper eſt tutatus, vt ſine timore armorum, ſine incurſibus & iniuria hoſtili in perpetua conſeruaret pace.

Moritur Monaci.

Moritur Monaci & piè in Chriſto obdormit Princeps Sereniſſimus, verus patriæ Pater, Anno & menſe circiter octauo ætatis ſuæ 51. Chriſti vero 1579. quinto Calend. Nouembris: de cuius laudibus videri Orationes funebres Ingolſtadianæ poſſunt. Ego colophonij loco Epitaphium addam.

Si pietas & relligio, siq́ aurea virtus,
Et merita in superos, si qua à mortalibus ægris
Præstari possunt, rabidæ compescere mortis
Insanam valeant iram, lethumq́ fugare,
Viueret Albertus cornicis secula Princeps,
Relligionis Atlas veteris, virtutis Asylum,
Romani imperij decus indelebile: fata
Sed sua quenq́ manent, & debita funera membris
Humanis: & acerba dies, lethumq́ nefandum:
Viuit at ille tamen, vita meliore potitus,
Pro meritis, pro virtute & pietate, fideq́,
Aspectuq́ DEI sese super æthera pascit.

Dum hæc ad prælum accingerentur, ecce moritur Iacoba, Ducis Alberti mater, Anno integro & diebus aliquot post mortem filij, DEVS sit ipsius animæ propitius.

VDALRICVS DVX MECHELBVRGENSIS.

ANNO Domini M. D. XXXIX. mense Octobri, accessit ad Academiam nostram Serenissimus Princeps ac Dominus Vdalricus Dux Megalopolitanus, Princeps VVendorum, Comes in Schvverin, Rostockh & Stargardia &c. filius Alberti, nepos Magni Ducis Mechelburgensis, qui semel terram sanctam, bis verò Romam (heu pietas & prisca fides) inuisisse, Stargardiamque & Vandaliam paternę ditioni adiecisse scribitur. Fuit Princeps Vdalricus perquàm charus Serenissimo Duci Bauariæ Alberto, cui, vt suprà quoque dictum, indiuiduus & studiorum & exercitiorum comes, atque vnâ etiam Institutionibus iuris, sub

eodem præceptore, VVolfgango Hungero legum Doctore ac Professore, operam dedit.

Professores eius temporis.

Florebat circa ea tempora Iurisprudentię studium, & insignes docebant Iurisconsulti, Antonius Caimus Mediolanensis, Fabius Arças de Narnia Romanus, Viglius Zvvichemius, Nicolaus Euerhardus senior, VViguleus Hũdius à Lauterpach, cui institutionibus docendis, cùm auocatus esset ab Illustrissimo Principe Gulielmo, subrogatus est Anno 40. VVolfgangus Hungerus. In Theologia clarus erat Eccius. In Medicina Cæsar Delphinus Parmẽsis; In literis & linguis Vitus Amerbachius, in Oratoria Sebastianus Linckh Stutgardianus, in Mathematicis Petrus Apianus, in Poësi Ioannes Pædionæus, Ioannes Lorichius Hadamarius: & si qui fuere alij, vel eodem tempore, vel sibi inuicem succedentes.

GVLIELMVS DVX BAVARIAE.

ANNO Domini 1563. mense Aprili, accesserunt Academiam suam Serenis. Principes, ac Domini Gulielmus, Ferdinandus, & Ernestus, Comites Palatini Rheni, & vtriusq; Bauariæ Duces &c. fratres Germani, Patre Alberto Duce Bauariæ ex Anna Diui Ferdinandi primi & Archiducis Austriæ &c. filia nati.

Gulielmus Dux Bauarię nascitur Landishutæ.

GVLIELMVS eius nominis quintus, inter fratres natu maximus, qui post fata parentis nunc rerũ in Boiaria vtraque potitur, nascitur Landishutæ, Anno Domini 1548. die 29. Septembris, hora prima pomeridiana sub fœlici Virginis sydere.

Anno

Anno Domini 1568. menſe Februario celebrauit Sereniſſimus Dux nuptias magnificentiſſimas Monaci, cum Illuſtriſſima Principiſſa Renata, Duciſſa Lotharingiæ. Tranſiit ſponſa pulcherrimo comitatu Ingolſtadium, ibique diuertit. Excepta verò eſt à Sereniſſ. Principe Ferdinando Duce Bauariæ.

Celebrat nuptias.

Succeſsit parenti defuncto in regimine Anno 1579. menſe Nouembri, Princeps omnibus virtutum ornamẽtis conſpicuus, omnique laude ſuperior, pius, Catholicæ religionis amantiſsimus, prudens, humanus, mitis & literatorum ſingularis Mecænas, qui etiamnum fœlicis ſui regiminis pulcherrima edit ſpecimina, proinde omnes boni de eo, qui maxima præſtat, ſibi maxima pollicentur.

Suſcipit regimẽ Bauariæ.

Dij quibus imperium in terras, quibus aurea cordi
Relligio & patrum pietas, atque inclyta virtus,
Propitia in Bauaris defigite lumina terris.
Quæ CHRISTO ſeruâre fidem, ſeruâre Sioni,
Promiſſisq́ ſtetere ſuis: ſeruate ſecundum
Iam patriæ patrem, nobis quem pignus amoris
Albertus pater ipſe ſui poſt fata reliquit.
Sit tua cura, tuo DEVS & ſub numine ſaluus
Relligionis Atlas Princeps Gulielmus auitæ.
Aſpiciat ſeris Dux clementiſſimus annis
Natorum gnatos, & qui naſcentur ab illis:

Parens eſt Sereniſsimus Princeps, quo hæc ſcribimus, quatuor filiorum, ex quibus ſecundò natus Anno 79. in Adminiſtratorem ſeu potiùs Epiſcopum Ratiſponenſem poſtulatus, magno, vt opinor & res ipſa teſtatur, illius Capituli commodo, et aliquot filiarum, quarum natu maxima Chriſtierna menſe Maio Anno octuageſimo è viuis eſt erepta.

Hoc ipſum in deſcriptione primi inter Germanos fratres Boiorum Ducis præterire non poſſum, rem eſſe admiratione dignam, quòd trium Bauariæ Ducum cõiugẽs, trium Imperatorum filiæ & Sorores ſimul fuerint, & in hac ipſa linea, vnde noſtri Duces Bauariæ deſcendunt. Nam Ludouici ſecundi coniunx Melchtildis, filia Rhudolphi primi Imperatoris & Alberti regis Romanorum ſoror: Khunegundis coniunx Alberti quarti, filia Friderici tertij, & Maximiliani primi ſoror. Anna denique Alberti Quinti cõiunx, Ferdinandi primi Imperatoris filia, & Maximiliani ſecũdi ſoror fuit. Hęc obiter volui notare.

Ingreſſus eſt Princeps Gulielmus Anno ſuperiori vrbem noſtram iuſto cum apparatu, exceptus primò omniũ ab Vniuerſitate. Quo munere nomine Academiæ perfunctus eſt, Dominus Albertus Hungerus Doctor Theologus, Profeſſor & Procancellarius, tam piè, quàm prudenter, & diſertè. Reſpondit Dominus Eraſmus Vendius non minus doctè, quàm grauiter. Princeps ſummam exhibuit Profeſſoribus humanitatem, ſingulisq; dextram dedit. Quin etiam, cum venatui ibidem indulgeret, fere omnibus Profeſſoribus iisque ſingulis integrum ceruum dono dedit.

FERDINANDVS DVX BAVARIAE.

SERENISSIMVS Princeps FERDINANDVS, Dux Bauariæ, naſcitur Landiſhutæ Anno 1550. die 29. Ianuarij, hora ſexta antemeridiana, in aquario. Simul cum fratribus Ingolſtadianam Academiam illuſtrauit.

Non

Non possum hoc loci præterire summam Serenissimi Principis Ferdinandi humanitatem, si ita mihi ipsius venia liceat appellare, quam nostro Collegio Philosophico exhibuit. Cùm eius Illust. Celsitudo Año 1568. mense Augusto venandi gratia cum parente Ingolstadium concessisset, *22.* die Augusti, quæ erat Dominica, quaq; Disputatio Baccalaureorum, pro veteri Collegij Philosophici more, habebatur, fortè fortuna inuisura Collegiū vetus, patresque de Societate Iesu, & præcipuè Carolum Vrsinum, vt dicebatur, disputationem in aula Albertina vidit haberi, quam vsque adeò non neglexit, vt non puduerit eius Illust. Cels. re intellecta, cùm assurrexisset Decanus, tanquam disputationis Præses, in locum eiusdem residere; & vsq; ad disputationis finem concertantibus in palestra literaria, iusto cum suorum comitatu & admiratione magna, singulari Facultatis Artisticæ honore & disceptantium, auditorumque delectatione, attentum se præbere auditorem.

Humanitas Ducis Ferdinandi.

Princeps heroici prorsus ingenij, & naturæ sagacis, quique ad res maximas gerendas videtur esse natus, de quo illud vergilianum ex nono rectè queat dici.

Diine hunc ardorem mentibus addunt
Euriale? an sua cuiq; DEVS fit dira cupido?
Aut pugnam, aut aliquid iam dudum inuadere magnum
Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete est.

Sed nunquā illud aut certè perquam rarò fallit poëtæ
Est in equis patrum virtus,
Et quæ ibi plura habet Lyricus.

Perge heros, ingens animo, virtutibus ingens,
Quò tua te virtus vocat & vestigia patrum,
Quodq; genus Ducibus regum est de sanguine Boiis,
Induperatoris quos ter dignata cubili

Filia, Rhudolphus generum & Fridericus habebat
Atque tuus Ferdnandus auus; duo, fortia corda,
Alberti, & Ludouicus erant de gente secundus:
Et, mirum dictu, ter Cæsar auunculus & bis
Maximus AEmilius, quorum super ardua nomen,
Et mens perpetuæ sese extulit inscia mortis.
Perge heros, ingens animo, virtutibus ingens.

ERNESTVS DVX BAVARIAE.

Ernestus nascitur.

ERNESTVS Comes Palatinus Rheni & Bauariæ Dux nascitur Anno Domini 1554. die 17. Decembris hora quinta antemeridiana Monaci. Venit ad Academiam, eamque illustrauit Anno Domini 63. Electus in Episcopū Frisingensem, & breui temporis interuallo Hildeshaimensen. Primitias suas celebrauit Coloniæ Anno 78.

Fit Administrator Frisingensis.

Princeps illustribus tum corporis, tum etiam animi dotibus admirabilis, vtpote qui ab ineunte ætate præceptoribus vsus est optimis, non aliter atque Aristotele Philosophorū Principe Alexander Magnus, & præcipuè quidem Iodoco Castnero, viro literato & Poësios peritissimo, qui pòst statu vitæ mutato, ordinem patrum de Societate IESV est ingressus, & in ea professione Halæ apud Tyrolenses mortuus. Deinde Andrea Fabritio Canonico Frisingensi, & pòst Serenissimi Boiorum Ducis Alberti, fœlicis recordationis, in vrbe apud summum Pontificem Oratore, nūc verò Præposito apud veterē Oetingam. Magna & humanitate & prudentia est præditus. E baptismo susceptus est à Reuerendissimo & Illustrissimo

Principe

Principe Ernesto Duce Bauariæ & Archiepiscopo Salisburgensi &c.

Nunc tamen Hildshamium Princeps te magne moratur,
Aut non inde procul tenet arx pulcherrima: sed te
Dij seruent nobis, (votorum hæc summa meorum,)
Et virtute tua dignissima præmia donent.

PHILIPPVS MARCHIO BADENSIS.

PHILIPPVS MARCHIO Badensis, & Comes in Spanhaim &c. Patre Philiberto ex Sidonia, Gulielmi Quarti Boiorum Ducis filia, & Alberti Quinti, piæ memoriæ, sorore natus. Parens Anno Domini 1569. die 13. Octobris in Galliis cecidit, cùm fortissimè pro rege Galliæ contra Hugenotas & Admiralium Hugenotarum Ducem, pugnasset, magno sui apud Catholicos, vt Historici Catholici vtar verbis, relicto desiderio. Vnum hunc filium, Philippum, & tres filias ex Sidonia Ducissa Bauariæ, genuit, quarum media natu superioribus annis Principi Rosenbergensi in Bohemia nupsit.

Philibertus cecidit in Gallia.

Accessit Academiam Ingolstadianam, vnâ cum Illustri & Generoso Domino Iacobo VVolphgango Comite à Schvvartzenburg, & Ioanne Lechle nunc Canonico Frisingensi, Anno Domini 1572. relatus in Album Vniuersitatis, die 23. Martij.

Princeps pulcherrimis & corporis & animi virtutumque ornamentis perquâm illustris, humanus & clemens in omnes, præsertim vero Academicis, quàm diu nostram

Scholam illustrauit, singularem semper exhibuit humanitatem.

Philippus Marchio fuit Rector.

Rectoratum & fasces Academicos magno animo magnaque cum laude gessit, Anno 74. quo Dux Iuliacensis Comiti Palatino, qui Neoburgi ad Danubium sedet, filiã elocauit.

Suis vnicè charus, pius, & religionis Catholicæ amãtissimus, & collapsæ instaurator, instauratæq; propugnator strenuus. Quæ enim annis superioribus, eius Serenifs. Celf. parente aliis negotiis, & præsertim rebus bellicis occupato irrepserant in eius Illustrissimæ Celf. prouinciam hæreses, eas partim auxilio Serenifs. Boiorum Ducis Alberti, fœlicis memoriæ, iam olim profligauit, dirigente & administrãte eam rem Illustri Comite à Schvvarzenburg, qui vices absentis Principis gerebat, partim adhuc, vtpote reliquias ex tanto incendio relictas, restinguere, & quicquid superest mali, penitus exstirpare, omnibus conatur viribus. Neq; enim in literis tantùm apud Ingolstadienses profecit, (quod nobis, imò omnibus Catholicis est cõmune cum hæreticis, quorum hæreticorum eruditionis pars maxima in literarum politiorum, minima verò, imò penè nulla in vera solidaque Theologiæ cognitione consistit,) sed & in religione Catholica, Serenifs. Boiorum Duce Alberto autore & auspice, instituente verò Reuerendo & amplifs. viro ac Domino Martino Eisengrein &c. fundamenta ita fœlicia itaque firma posuit, vt inuadi quidem, sed euerti nunquam, impugnari quidem Princeps queat, sed expugnari minimè. Ecclesiam igitur Dei, & religionem Catholicam, quantumuis Illust. eius Celf. ditio circumquaque hæreticis, non aliter atque ouile rapacibus lupis, septa, circumuallata, & quasi obsessa impetatur acerrimè, strenuè tamen defendit, magnoque animo, vt poëtæ Latini verbis vtar.

Igua-

Ignauum fucos pecus à præsepibus arcet.

Habet ad eam rem Consiliarios selectissimos & aptissimos, qui & ipsi cum sint καθολικώτατοι, & non nisi veram & auitam Ecclesiæ Catholicæ religionem spirent, nō patiuntur suo exemplo, Principem aliud, quàm Catholicissimum cogitare, agere, & promouere, adeo vt eius Illustrissimæ Cels. per se, & suapte natura religionis auitæ amantissimæ, magno sint ad zelum feruentiorem incitamento. Salua igitur est per eius Illustrissimæ Cels. ditiones Religio, respirauit, & floret diuinus cultus, & quicquid ad pietatis studium attinet: quanquam semper aliqua latent commixta tritico zizania.

De Consiliariis eius Illustrissimæ Cels. hoc ipsum gratitudinis ergô tacere non possum, cùm elapso mense Februario Badenam venissem, absente Principe, ab iis me omni genere humanitatis exceptum, tractatum prolixè ac magnificè, dimissum tandem & honorificentissimè & liberalissimè.

Ædificat sibi Princeps, in vrbe Badensi super collis sublimitate, magnificam & planè regiā arcem, cuius renouationis initium fecisse dicitur Comes â Schvvarzēburg.

De Marchionibus Badensibus magnifica scribit Irenicus Ettlingensis, de ipsorum origine, eruditione, & singulari pietate religioneque Catholica, propter quam & ipsis Pontificibus fuerint chari, & honestissima ab iisdē sint meriti testimonia encomiaq; lib. 3. Exegesios Germaniæ, capite 91. 92. 93. 94. & sequentibus tribus capitibus.

DEVS Opt. Max. tam generosum Principem in multos annos seruet incolumem, piasq; in religione Catholica fideque auita cogitationes, ac conatus foueat, augeat, & confirmet, in animæ Illust. eius Cels. salutem, & Ecclesiæ religionisque Catholicæ incrementum.

GEORGIVS LVDOVICVS LANDGRAVIVS IN LEVCHTENberg &c.

GEORGIVS LVDOVICVS Landgrauius in Leüchtenberg & Comes in Hals &c. Patre Ludouico ex ingenua heroina, matre Mechtildi, comitissa de Marckh & Arnberg, natus. Auus eius paternus fuit Georgius Landgrauius in Leüchtenberg, qui Anno Domini 1519. Rectoratum gesit, vnde in annalibus nostris de Georgio Ludouico Lādgrauio eiusmodi carmen posui.

Nomen aui, Princeps, referens, nomenq́; parentis.

Accessit ad Academiam nostram Anno Domini 1576. mense Augusto; Rectoratus officio & dignitate magnificè perfunctus est Anno eodem semestri hyemali.

Landgrauius Valedixit Academicis.

Valedixit Academicis & ciuibus die 5. Aprilis, regio prorsus exceptis conuiuio. Die vero 7. eiusdem mensis vrbem cum suis exiuit, Anno Domini 1580. In eius Illust. Celsitudinis fœlicem discessum, subsequens carmen vna atque altera hora, die 6. Aprilis αὐτοσχεδιασὶ lusi.

Vade, vale, Princeps, fælix pietate fideq́;,
Ingenio meritisq́; potens, laudisq́; vetustæ
Illustre exemplum: quis te Deus inuidet oris
Amplius heu nostris, ni te ad maiora vocantes
Subtraherent nostro aspectu, pia numina, Diui,
Quas lachrymas & quos gemitus, querulasúe cieres
In nobis voces? cælo velut aureus alto
Nubibus ereptus tenebras inducit opacas
Phœbus & obscuram multa caligne noctem
Inuehit in terras: sic inuoluuntur Athenæ

Boiades

Boïades vmbris te discedente: sed ante
Fœlix, heu nimiùm solo te Principe fœlix
Vrbs Ingolstadium, tantùm bona si sua nosset.
Quæ tamen ô meriti nobis solatia luctus
Post te discedens Princeps mitissime linquis?
Virtutes, nomenq́; tuum, pietasq́; fidesq́;
Ante oculos, nostrasq́; manus, quocunq́; locorum
Viuere te superi iubeant, versabitur omni
Tempore: nec tanti nostro de pectore vultus
Principis exciderint vnquam, veterisq́; perennis
Stabit apud memores, ceu fas est, gratia facti.
Dum licet, atque tui præsentis copia nobis,
Te affari patiare, precor, precor accipe verba,
Votaq́; digressu Rotmari facta supremo.
Qui regit astra DEVS, patrio te li[illegible]æ saluum
Sistat & ad Boium, Princeps dignissime, regnum
Isaridesq́; Deas & amæna tecta reducat
Boïadum sedis: pietas & auita sub imis
Relligio æternos cordis penetralibus annos
Insideat: tibi digna tuis virtutibus ætas
Nestoris eueniat: votorum hæc summa meorum est.

Scripsit in eiusdem discessum alterum carmen, Ioannes Eisengrein, LL. Doctor, Canonicus Patauiensis, & tum temporis Scholæ Rector &c. quod quanquam vnâ cum meo typis sit euulgatum, quia tamen eiusmodi chartę & in paucorũ manus veniunt, & facile pereunt, itidem adscribendũ putauimus, pauci quibusdam ab ipso autore mutatis.

Sicne paras abitum? sic illustrissime Princeps,
Maxima Gymnasij spes & decus, atque corona
Verticis heu nostri, nullis æquanda corollis,
Siccine discedis? sic nos patrone relinquis?

Verùm

Verùm quandoquidem tua iam te ad maxima fata
Fortunata trahunt: cape, quod fidißima munus
Nostra parens, Schola, pro meritis dedit atque labore:
Orbis subsidium, virtutes, Religionem
Artes ingenuas, & dona potißima nostri
Euerhardiadis (quo vix seruantior æqui,
Vixq; docendi vllus, rectiq; peritior vllus
Dicendi: vir quippe bonus, legumq; Sacerdos)
Sacri præsidium iuris, spatiosaq; legum
Auxilia, vt regere imperio (te iure regente)
Subiectos valeas æquo, quo præside tanto
Principe Consilij, rapidis lætetur in vndis,
Et quas festinus pater alluit Isarus vrbes,
Gaudeat oppressus, pauper releuetur, & æger,
Pupilliq; suas, matres, viduæq; relictæ
Iam fore res sperent te defensore beatas.
Ergo vale ante alios Princeps clarißime multos,
Princeps ingenio, generosaq; indole fœlix,
Et quæ dona tibi CRISTVS, *quæq; aurea mater*
Contulit Anglipolis (tibi nam prudentia summa est)
Ad CHRISTI *causam referas, & commoda nostri*
Gymnasij, atque tuo quoque me defende fauore:
Sic tibi surget honor semper, sic præmia vitæ
Cœlestis magis atque magis meritò augebuntur,
Virtutesq; tuas nomen, laudesq; manebunt.

Princeps est, vt hoc coronidis loco subiungam, præter ætatem eximiis animi dotibus, & admiranda prudentia valens, vt verè illud Vergilianum de eo poßit dici,

Ante annos animumq; gerens, curamq; virilem:

Expeditè, eleganterque loquitur Latinè, quotiescũque in conuersationibus & colloquiis eius vsus sermonis incidit, & non exiguam iuris prudentiæ cognitionem habet.

bet. Omni humanitate Academicos ſemper eſt proſecutus, plurimaq; tum in omnes, tum verò in me contulit beneficia. Præſides nunc fungitur munere in ſupremo Boiorum Ducis tribunali, quod eſt Monaci. DEVS Opt. Max. tãtum Principem quàm diutiſsimè incolumen ſeruet & in omne bonum opus adaugeat.

ALEXANDER DVX SLVCENSIS ET COPELIEN. LITHVANVS.

QVANTVM ex frequenti, acurataque, vt opinor, matriculæ Academicæ inſpectione, lectione, relectionéq; obſeruare potui, niſi forte quem locum feſtinantiùs opinione vel præterierim tranſilierimúe, vel imprudentius incogitantiniſque inſpexerim, nulla omnino Academiæ noſtræ tẽpora fuiſſe video, quibus plures Poloni, Lithuaniq; Scholam noſtram illuſtrârunt, quàm paucis hiſce annis proximis. Inter Lithuanos primus (nam de Polonis poſt dicã) Academiæ nomen dedit Anno 1577. Illuſtris Dominus Euſtachius Tiſſenovvitz, Smolienſcenſis Palatinus, & eiuſdem Præfectus Georgius Calicantus, eques Lithuanus. In ſecundis verò numeratur Sereniſs. & Illuſtriſsimus Princeps ac Dominus ALEXANDER Dux Slucenſis & Copelienſis Lithuanus, qui Anno 1580. Academiã noſtram acceſſit. Is vt generis vetuſtate, nobilitate maiorum, præclarè geſtis, propriis denique tam animi, quàm corporis & fortunæ bonis Polonos, Lithuanoſq;, qui noſtræ Academiæ fuere cogniti, longè ante cellit, ita quoq; plurimum ornamenti, lucis & ſplendoris præ cæteris omnibus, Scholæ Ingolſtadianæ adferre, credi debet. Eius

Euſtachius Tiſſenovvitz primus Lithuanus in Academia noſtra.

Alexander Dux Slucenſis &c. ſecundus.

Origo Ducis Slucensis.

Principis generis ortus ad VVlodimirum fratrem Iagellonis, excellentissimi herois, & magni Ducis Lithuaniæ, Olgierdi filium, refertur. De quorum vtroque, tanquam duobus Lithuaniæ luminibus, cùm vtriusque gloria, quasi iure quodam hæreditario, in Principem Alexandrũ deuoluatur, non ægrè feret modestus lector, rerumque non iniquus arbiter, si paucula quædã hoc loci dixero, nõ tam, quòd qualemcunq; aurã popularem, quam pleriq; faciunt plurimi, apud eam nationem, & beneuolentiã apud Principem velim captare, quàm vt Academiæ nostræ celebritas, quæ apud exteras quoq; gentes diuulgata Principum & ingenuorum animos perstringit, allicitque, innotescat meliùs, & quòd ea res ad originem & familiam Principis Lithuani illustrandam, omnino pertinet. Dicam igitur primùm de Iagellone, eiusque posteris; de VVlodimiro pòst sermonem instituam.

Olgierdus Dux magnus Lithuaniæ.

Fuit Lithuanis Princeps, seu Dux magnus (ita enim inscribebantur, antequã Lithuania vnita Poloniæ, & mutilata fuerat) nomine Olgierdus, Gedimino parente genitus, quem & pace & bellis potẽtem fuisse, totiq; Lithuaniæ imperasse, cum ex cognomento Magni Ducis, tũ etiã ex eo colligo, quòd illi cruẽta cum Polonis bella, præliaq; fuerunt, multiq; captiui Poloni apud eundẽ detenti. Habebat is cõplures filios, diris Ethnicorum erroribus, tenebrisq; implicatos omnes, velut & ipse Olgierdus, totaque cum eo erat Lithuania. Colebant.n. eius regionis incolæ pro Deo vero varias res, adorabant solem, ignẽ, syluas, serpentes & quædã alia venerabantur numina idolaque. Cęterũ inter fratres, Olgierdi filios, vt natu erat penè maximus Iagello, certè fratre VVlodimiro grandior, ita cęteris quoque ingenio heroico, sapientia, animiq; fortitudine, præstabat facilè. Ille cùm circa Annum 138. regnum Poloniæ

Iagello.

loniæ vacare, vnamq; tantùm filiam, nomine Hedvvigim, ex Ludouico rege Poloniæ & Vngariæ, & Margaretha Casimiri secundi regis Poloniæ filia progenitã (regnũ enim Poloniæ sæpe in muliebre genus, virili deficiẽte sexu, trãslatũ exteros acquisiuit dominos) totius regni hæredẽ esse relictã intelligeret, neq; sibimet ipsi, altiori quodã & penè diuino Spiritu intus excitante, deesse, neq; tam oportunã tam opulenti regni acquirendi occasionẽ prætermittere voluit. Erat autẽ Polonia iam ante ad Christianã religionem cõuersa. Missis itaq; per fratres suos, tanquã legatos, regiis muneribus, facilè apud Hedvvigin Virginẽ, iam in reginã Poloniæ vnctã, apud matrẽ Margarethã, Vngariæ reginã, & reliquos regni Polonici proceres, Iagello obtinuit, vt à filia in maritũ, à matre in generum, à statibus deniq; regni in regem & dñm acceptaretur: tum quia Christianæ fidei ac religioni nomen erat daturus, captiuos restituturus libertati, & Ducatũ Lithuaniæ regno Poloniæ in perpetuum vniturus, & vt vocant incorporaturus: tum etiam, quòd status Polonici penè cõtinuis exterarum nationum incursionibus miserè vexati pacatiùs & quietiùs sibi pollicebantur regnum.

Iagello repurgat Lithuaniam à gentilismo.

Multis ille Iagello, cui in Baptismo Vladislai nomen est impositum, præclarè gestis & nobilissimis affinitatibus, apud suos Lithuanos ac Polonos, tum etiam apud exteras nationes claruit. Postquam enim regina, regnoq́uo Polonico potitus esset fœliciter, & vnâ cum fratribus sacro Baptismatis fonte ablutus, reuersus est in patriã, gentilismũ, omnemq; Idololatriã sustulit & exstirpauit, templa Idolorum destruxit, noua exstruxit, & Vilnæ, quæ est Lithuaniæ Metropolis, Cathedralem constituit Ecclesiam, veramq́ue fidem ac religionem in totam Lithuaniã induxit, multis viris religiosis, multisq; Episcopis ad eam

rem cooperantibus. Inde rebus omnibus bene cõſtitutis, fratrem Boleslaum Lithuaniæ præficit, ipſe in Poloniam cum coniuge reuertitur. In Polonia Craccouienſem Academiam, multis quidem antè annis in vrbe Caſimiria à Caſimiro ſecundo tentatam inchoatamque, ſed nõ abſolutam perfectamque, quaſi de nouo erexit, accerſitis ex Academia Pragenſi Magiſtris & Doctoribus, qui in recens inſtituta Schola profiterentur. Graue cum Teutonicis fratribus bellum geſſit, tandem ſenio laboribusque confectus, Anno 1437. moritur: reliquit poſt ſe duos filios, Vdalislaum, qui parenti in regno Poloniæ ſuccedens, eidem Vngariam cõiuxit: & Caſimirum ſecundò genitum, qui Dux magnus Lithuaniæ conſtituitur, & paulò pòſt, occiſo in prælio fratre à Turcis, regnum quoque Poloniæ adeptus eſt. Ab hoc ipſo Caſimiro tertio, rege Poloniæ, deſcenderunt reliqui omnes reges Poloniæ, vſque ad Sigiſmundum Auguſtum, Sigiſmundi filium, nepotem Caſimiri & Iagellonis pronepotem.

Erigit Academiã Craccouienſem.

VVlodimirus.

Nunc ad VVlodimirum denenio; ei mortuo parente Olgierdo, in diuiſione paternarum ditionum Ducatus Kyvvienſis, Slucenſis & Copelienſis, cõtigit. Bellis Princeps ille perquam inclytus filium vnũ genuit Olieleckhonem, qui in Baptiſmo nomen Alexandri accepit, græcæq; Eccleſiæ ſeſe addixit. Hinc græcam profluxiſſe apud Lithuanos religionem arbitror, quæ in hunc vſq; diem perdurauit. Huic in Ducatu Slucenſi & Copelienſi filius Michael ſucceſſit, qui Simeonem, vnicum genuit filium. Ex hoc natus eſt Principis noſtri proauus Simon Dux Slucenſis, ditiſſimus Princeps & bellicoſiſſimus, qui vix dũ annum ætatis ſuæ decimum octauũ egreſſus, Tartarorũ, ac Turcarum duodecim millia prælio ſuperauit, profligauitq; fœliciter. Emigrauit ex hominum commertio vni-

co filio Georgio, filiaque poſt ſe relictis. Georgius Dux Slucenſis, non minùs ipſo parente armis, manuque inclytus, Alexandri Principis auus, Tartarorum 24000. vno profligauit prælio, genuitque Simeonem ſecundum, qui ſine prole deceſſit, & Georgiũ, ex quo Georgius, Simeon, & Alexander Princeps noſter ſunt geniti.

Alexander Dux Slucenſis.

Habet profectò Sereniſs. Princeps Alexander, in quo, ſi vellet, iure ſuo non mediocriter poſſet efferri, ac præcipuè quidem ratione ſuæ originis, paternæq; familiæ, quòd à tantis heroibus patrium ſuæ ſtirpis ortum trahit. Et Iagelloni quidã quia vel in vna ea re euadit ſimilimus, quòd quemadmodum ille adhuc iuuenis ad veri Dei agnitionem peruenit, religionem Chriſtianam & Catholicam eſt amplexus, diuinum denique cultum, gentilium confringendis, Deo vero, Chriſto filio, eiuſq; matri D. Mariæ ſemper Virgini nouis conſtruendis templis plantauit, promouit, & amplificauit, ita pariter hic noſter Princeps Alexander, abiuratis quibuſcunq; ſchiſmatis, erroribuſq; ad verum Chriſti ouile, & Eccleſiã Catholicã totus tranſierit, nunquã intermorituram meretur gloriam. Parentem verò multis anteuertit paraſangis, quòd licet omniũ rerum copia & immenſis affluebat diuitiis, occaſionem tamen, vt opinor, ad Eccleſiæ Catholicæ diuertendi tam amplam, tamque opportunam & planè magnificam nunquam habuerit, quantam ſingulari Dei beneficio contigiſſe filio coràm aſpicimus. Atq; id ipſum quanquam nõ ſine propitio Dei præpotentis numine eueniſſe fatemur, Sereniſſimus tamen Boiorum Dux Gulielmus fœlici ſuo auſpicio primas maximasq; in eo negotio partes egit, ſuſtinuit, & rem promouit. Nam cùm menſe Auguſto, hoc ipſo 80. Anno Sereniſs. noſter Princeps Gulielmus, viua pietatis, cæterarumque paternarum virtutum imago &

 exemplar,

exemplar, non obſcurè ex quibuſdam fidei probatæ viris intellexiſſet, & re ipſa corã experiretur, quàm benè Principis Alexandri animus in Religione Catholica informatus, non niſi vlteriori progreſſu, calcaribus & cõfirmatione indigeret, tum ꝑpter cętera negotia, tum etiam hãc ob rẽ, vt euentus docuit, Reuerendiſs. & Ampliſs. Epiſcopũ Aichſtadianũ Martinũ à Schaumberg, ſenio canisq́;, pietate & grauitate venerandũ Principẽ, ad ſe Ingolſtadium amicè ac benignè inuitauit, vbi tum Princeps Gulielmus, non venationis tantùm cauſa (quanquã & illam non tam oblectatio, quàm neceſſitas, quàm amor in ſuos Principis efflagitabat) ſed etiam (quæ potiſſima illi cõmorandi cauſa fuit) Academiæ, & ciuilis Reipub. in primo ſui regiminis ingreſſu cõſtituẽdę gratia, hærebat, & qua ſingulari eſt pietate, & in religionẽ Catholicã zelo flagrat ardẽtiſſimo, omnẽ dedit operã, vt Sereniſs. Princeps Alexãder à ſchiſmate per eundẽ Reuerendiſs. Epiſcopũ abſolueretur, Eccleſiæq́; reſtitueretur. Neq; difficile ſanè erat, iã ad iter accinctũ ꝑſuadere. Itaq; Princeps noſter Sereniſ. Gulielmus ab vtraq; parte, quod volebat, ſine labore impetrauit, resq́; omnino ceſſit fœliciter. Neq; certè apud me dubiũ hic eſt amplius, quin Princeps Alexander, cùm Diis fœlicibus ad paternos lares aliquando redierit incolumis, grandiorq́; ætas ei acceſſerit, Iagellonis veſtigia ſit inſecuturus, & quẽ admodũ ille gẽtiliſmũ extirpauit in Lithuania, ſic ipſemet quicqd vel temporum diuturnitate, iniuriáue, vel incuria paſtorum, hominumq́; malitia in ipſius ditiones aut hęreſis (latè enim illud virus & quàm facilimè ſerpit) aut Schiſmatis irrepſit, omnem moturus ſit lapidẽ, vt illud ipſum paulatim aboleat, tollátue, eradicet, profligetq́; penitus. Nec deſunt profectò iam nunc ad eam rem non infœlicia auſpicia, initiaque.

Alexander Dux Eccleſiã adderit Catholicam.

Atque

Atq; hæc omnia ad ſanguinis paterniq; generis gloriā, maioribus cum Principe Alexandro cōmunē, pertinent. Quòd ſi ad generis nobilitatē, affinitates quoq; faciunt, nō video, quid in hac fœlicitatis parte Princeps Alexāder vel à Deo Opt. Max. omniū bonorum primo & munifico datore, vel à fortuna poſſit reqrere magnificentius. Paternæ ſtirpis origo penè eſt regia, in qua & Poloniæ & Vngariæ & Bohemię recēſentur reges. Affines & ipſi reges, Imperatores, Duces, & Archiduces exſtiterūt. Caſimiri tertij, Iagellonis filij, coniunx erat Eliſabetha Archiduciſſa Auſtrię, Alberti Romanorū filia, Ladislai Vngarorū regis ſoror, Sigiſmundi Imperatoris ex filia neptis, multorū & filiorū, qui pene omnes, præter Fridericū Cardinalē, ſucceſſiuis tēporibus regno Polonię sūt potiti, & filiarū parēs, Sigiſmundi Auguſti, vltimi ex Iagellonis linea apud Polonos, regis auia. Atq; hæc illi familiæ cum Auſtriaca domo eſt coniunctio: quanquā & Sigiſmundus Auguſtus Ferdinandi primi Imperatoris filiā matrimonio ſibi copulatā habuit. Cum Bauarica vero domo eadē eſt permixta familia; cum Brādenburgēſi, Lignicenſi & Stetinenſi. Cùm.n. rex Caſimirus tertius cōplures genuiſſet filias, natu maxima Hedvvigis Georgio Duci Bauariæ, cognomēto Diuitis, Ludouici Diuitis & ſcholæ Ingolſtadianæ Fundatoris filio, nupſit. Sophia Friderico nono Marchioni Brandenburgēſi & Norici caſtri Burggrauio, Friderici & Gulielmi, qui Anno 1515. & 1516. rectoratus dignitate ſunt perfuncti, parenti fuit coniuncta: Anna Bugislao Duci Stetineſi, Barbara Georgio Marchioni Miſnenſi, & Eliſabetha Duci Lignicenſi. Prætereo nunc filias Sigiſmundi regis Poloniæ ex Iagellonis proſapia penultimi, quarum alia Duci Brunſuicenſi, alia regi Vngariæ, alia regi Suetiæ fuit nupta: minima natu Anna etiamnum in matrimonio Stephani Poloniæ hoc ipſe tempore regis conſpicitur. Et

Affinitates Ducis Alexandri.

Etprofectò, si quis rem rectè considerat, tanta huic familiæ contigisse, tam ampla, regiaque comperiet, quanta vix alteri cuipiam accidisse legimus.

Verùm non tam maiorum insigniis, parentumq; gloria innitendum, quàm propriis nos oportet virtutibus excellere. Et quisquam de Alexandro Duce, tantæ indolis Principe dubitet, qui pulcherrimum omnium virtutum posuit fundamentum? Omnia pene mihi habere videtur, qui è tenebris in lucem assertus, veram religionem, & doctrinam Catholicam amplexus est, quam tanquam indiuiduus comes & perpetua pedissequa, omnium virtutum parens & honestatis fons vberrimus, sequitur pietas. Ea minimè nos transuersùm rapi sinit, ducit viam veritatis, virtutis & honestatis, morumque est magistra longè doctissima. Hac inquam Princeps Alexander stipatus, communitusque, maxima quæque venturis temporibus præstabit. Cui tanquam adminicula quædam & instrumenta accedunt, tam corporis, quâm fortunæ bona pulcherrima, quæ vsq; adeò non inuidêre illi Superi, vt parens ipsius meritò Diuitis cognomento potuisset appellari. Habet Serenifs. eius Celsitudo in suo comitatu egregios quosdam viros, præcipuè verò Ioannem Dzierzekium, ex nobili & equestri familia natum, præfectum aulæ, morumq; magistrum, & M. Nicolaum Romanum, Præceptorem in honestis literis, viros Catholicissimos, piissimosq;, quorum Consiliis si paruerit, vt paret maximè, opinionem, & spem de se conceptam minimè fallet. DEVS Opt. Max. pater Misericordiarum, tantum Principem, tam bene natũ, educatumq;, tam piè institutum, clementer protegat, & in Ecclesiæ religionisque Catholicæ & subditorum eiusdem incolumitatem, quàm diutissimè seruet incolumẽ, & in omne bonum opus adaugeat.

Marte

Macte igitur virtute noua, pietate, fideq́,
O iubar & sydus Lithuani nobile regni,
Et generis fama alma tui; fer ad æthera nomen
Relligione tuum, factisq́, ingentibus olim,
Virtutesq́, patrum Princeps imitare tuorum.

Hæc sunt, candide lector, quæ de Principibus personis, quarũ virtutibus & splendore nostra est illustrata Academia, in mediũ adferre volui, Catalogum potiùs contexturus, quàm acturus Encomiastẽ. Quòd si quibusdã satis nõ fecero, parùm laboro, modò Scholæ nostræ ex tot Principum illustriumque virorum, qui eam illustrârunt, dignitate ornamenti accedat aliquid, neque inuidebo aliis, meliora si præstiterint. Nunc ad vlteriora progrediendum.

ACADEMIÆ INGOLSTADIANAE PARS QVARTA DE COMITIBVS.

ANTEQVAM Illustrium personarum, Comitum & Baronum enarrationem aggrediar, illud præmonitos velim omnes, neutiquam in sinistram rapiendum partem, et malè, quod iam dudũ expertus sum fieri, interp̃tãdũ, quòd de aliis plura, de aliis pauciora dixerim. Etenim neque encomiasten hîc agere institui, sed Catalogum tantùm illustrium personarum concinnare, neque omnes mihi, imò paucissimæ sunt notæ familiæ, adeò vt pariter de singulis nõ potuerim dicere. Quòd si quandoq; diuersas eiusdem nominis familias, vt est Ortenburgensis

Cur de aliis plura, de aliis pauciora scribat autor.

O Bauariæ

Bauariæ, & Carinthiæ, inter se permiscuero, illud cogitet omnes, patriæ nomina non semper singulis propriis nominibus in matricula Vniuersitatis addita. Itaque diuinandum mihi fuit aliquoties, & incerta pro certis ponenda, ac propterea, si quis à me committetur error, ignosci mihi velim. Cæterùm in enarratione tam Comitũ, quàm Baronum, non obseruaui annorum ordinem, vt quisque ad Academiam accesserit, sed vnius familiæ Comites seu Barones in vnum locum congessi omnes, ita tamen, vt quo quæque familia prior ad Academiam venit, priori etiam enumeretur loco.

COMITES AB HELFENSTAIN.

ACADEMIAM nostram, post Princeps viros, inter illustres familias primò omnium illustrârunt Comites ab Helfenstain, iidemque Barones in Gundelfingen, familia apud Sueuos vt nobilissima, & quondam potentissima, atque adeo vt principibus æquiparari potuisset, ita etiã antiquissima, vtpote, quæ à Comitibus Dilligensibus originem trahit; Et anno quidẽ Domini 1480. mense Iulio, cùm paucis annis antè instituta, erecta, & solenniter publicata esset Academia, accessit Illustris Dominus Ernestus Comes ab Helfenstain &c. Augustanæ Ecclesiæ Canonicus: inter Illustres primus. Obiit idem Ingolstadij, cum aliis egregiis viris, peste grassante Anno 1483.

Ernestus Comes ab Hellenstain.

Anno pòst 1511. claruit in Academia nostra LVDOVICVS Comes ab Helffenstain &c. Ecclesiarum Cathedralium Coloniensis, Argentoratensis, & Babenpergensis Canonicus: quo tempore in eadem Academia literis

Ludouicus ab Helfenstain.

teris

teris operam dedit Marcus à Knöringen, nobilis Sueuiæ, vltimus diuitis Augiæ Abbas.

Vdalricus & Rudolphus Comites.

Longo pôst tempore, Anno scilicet 1568. mense Maio accesserunt Scholam nostram, Illustres Domini, Vdalricus & Rhudolphus Comites ab Helfenstain &c. fratres Germani. Parens ipsorum erat Vdalricus Comes ab Helfenstain, qui cum fratre Sebastiano præcipuè Ducis VVirtenbergensis (vt quidam magni nominis, & autoritatis, fideiq; maximæ vir, dum viueret in suo Latzio ad marginem notauit) instinctu, circa Annum 1554. à religione Catholica defecit, & Lutheranismum in suam ditionem inuexit, expulsis ex oppido VVissenstaig, vbi & Comites resident, & Collegiata est Ecclesia, reiectisque Canonicis & Sacerdotibus.

Vdalricus parens fit Lutheranus.

Redit ad Ecclesiam Catholicã.

Verùm cùm pôst Comites illi miserè à mulieribus veneficis diuexarentur, mortuo Sebastiano in Blabpeüren, Anno 1563. Vdalricus post frequẽtem, diligentẽ, & attentam sacrarum literarum & patrum lectionem, deprӕhensis Lutheranorum prӕdicabilium laqueis, maturè animæ suæ suorumque subditorum saluti consuluit, & cùm vltra tres septimanas apud Reuerendiss. Cardinalem Augustanum fuisset cõmoratus, vt scribit Surius, sententiam mutauit, profligatisque concionatoribus Lutheranis, & in eorum locum Catholicis accersitis, suæ Ditioni religionem Catholicam, & cultum diuinum, Ecclesiasticis vero templa & bona sua piè reddidit, aras confractas instaurauit, sacras imagines restituit, & vt summatim dicam, nihil non fecit, quod Catholica requirit religio, & ad extremum vsque vitæ momentum optimus mansit Catholicus, & in religione Catholica exhalauit animam. De qua re in Epithalamio Illustris Domini Antonii Fvggeri Baronis in Kirchperg & VVeissenhorn &c. &

 illustris

illuſtris Dominæ Barbaræ Comitiſſæ ab Helfenſtain &c. cùm de parente ſponſæ Vdalrico Comite ab Helfenſtain ſcriberem, hos poſui verſus.

Diis hominum cordi pietas, & conſcia virtus,
Diis proceres curæ, quos Spiritus altior intus
Illuſtrat, nec tranſuerſum vi dira libido
In præceps, vitiumq́ rapit: pia vota parentis
Sponſa tui, iuſtasq́ preces penetraſſe ſupremas
Credibile eſt nubes, exauditosq́ frequentes
Tum reor eſſe Diis gemitus: erroribus anceps
Quando ferebatur, nec erat, quâ ſiſtere poſſet
Religionis inops: nunc hûc, nunc vertitur illûc,
In partesq́ rapit varias, perq́ omnia verſat
Ambiguam mentem, & curarum fluctuat æſtu:
Donec diſcuſſæ tenebræ & lux reddita menti,
Atque tibi palmas ſupplex Eccleſia tendit,
Tendit, & errori veniam, pacemq́ precatur.

Huius Comitis exemplum ſecutus præſtantiſſimus Medicus, Venerãdus Gablerus, qui tum praxim apud Tubingenſes profitebatur, & ad Catholiciſmũ reuerſus eſt.

Gebhardus ab Helfenſtain Archiepiſcopus Salisburgenſis. Et Epiſcopatus Gurzenſis fundator.

Fuit ex hac familia, quod & ipſum ad Helfenſtainenſium laudem facit, qui noſtram Academiam illuſtrârunt, Gebhardus Archiepiſcopus Salisburgenſis, & Epiſcopatus Gurzenſis fundator: id quod in eodem Epithalamio his ſum complexus verſibus.

Alpinos vbi Iuuarus irrigat agros,
Atque Salisburgum properans interluit vrbem,
Præſulis hic ſummi mitramq́ pedumq́ gubernat
Gebhardus, quantum hoc ſurgebat gloria gentis
Helfenſtainiadis? magno pietatis amore
Incenſus Princeps, mediis in montibus idem
Inſtituit mitramq́ nouam, ſedemq́ futuris

Præſulis

Præsulis hic Gurcensibus & sacra mœnia Diuis.
Nunc propiore DEI rutilum super æthera Præsul
Aspectu fruitur sancta inter numina cæli.

Ex iis, quos duxi, Comitibus senior, qui est Vdalricus rei militari dat operam. Sed nec illud silentio prætereundum arbitror, cùm ad familiæ Helfenstainensis pietatem contestandam plurimum facit, quòd Illustris Comes Schvveickhardus Georgij Comitis, qui Vdalrici frater erat, filius, & præfectus in Landsperg, in eodem oppidulo egregium Collegium Reuerendiss. patribus de Societate, suis expensis maxima ex parte constitui ædificarique curauit.

COMITES OETINGENSES.

NVLLA est inter omnes illustres familias, quæ sæpius suæ stirpis Comitibus Academiam nostram honorauit, quàm Comitum Oetingensium familia. Quarto anno post Ernestum Comitem ab Helfenstain, id est, Anno Domini M. D. XXCIV. relatus est in album Vniuersitatis Illustris Dominus Ioachimus Comes ab Oetingen, mense Maio. Idem etiam, quòd ea familia singulari laudi iure suo potest sibi ducere, primus inter Scholares, Anno scilicet 1486. Rectorali dignitate perfunctus est, semestri æstiuo.

Ioachimus Comes ab Oetingẽ, primus inter Scholares Rector.

Anno Domini 1494. mense itidem Maio, Ludouicus Comes ab Oetingen Academiam accessit.

Ludouicus.

Anno 1514. mense Maio aduenerunt Illustres Comites ab Oetingen, Martinus & Ludouicus, fratres Germani, quo Anno duo quoque Marchiones Brandenburgenses inscripti sunt. Martinus Rectoratum gessit Anno 1517. semestri æstiuali. Anno 1537. mense Nouembri accessit

Martinus & Ludouicus.

Gulielmus Comes ab Oetingen, cùm paucis mensibus antè Serenissimus Boiorum Dux Albertus Quintus aduenisset.

Gulielmus.

Anno Domini 1556. Nomen Vniuersitati dedit Gulielmus Comes in Oetingen & VVallerstain, mense Februario, Gessit fasces Academicos, & Rectoratu perfunctus est, Año 57. semestri hyberno, Etiamnum in viuis est, & in VVallerstain, prope Nördlingam residet, parés iam multorum liberorum.

Fridericus.

Anno Domini 1572. mense Septembri aduenit Dominus Fridericus, Gulielmi frater Germanus, & eodem anno, hybernoque semestri Rectoratus dignitatem magna cum laude gessit.

COMITES A ZOLLERN.

Franciscus VVolfgangus.

EX Comitibus de Hohenzollern, quæ illustris, diues & potens est apud Sueuos familia, vnum tantùm in matricula Academiæ reperio. Is est Illustris Comes Franciscus VVolfgangus: Accessit ad Academiám, Anno Domini 1444. mense Maio. Cæterùm Anno 1542. Illustrauit Academiã Fœlix Fridericus Comes à Zollern, & Simeringen, Romani Imperij Camerarius hæreditarius.

Fœlix Fridericus.

ORTENBVRGENSES BAVARICI.

QVos nunc enumeraturus sum Comites Ortẽburgenses, omninò, saluo tamen iudicio aliorũ, & sine cuiusquam iniuria, Bauaros esse arbitror, qui Matickofen, oppidulum inferioris Bauariæ, possident, vbi etiam Ecclesia collegiata est.

Anno

Anno Domini 1491. mense Februario, relatus est in Album Vniuersitatis Georgius Comes ab Ortenburg, Canonicus Ecclesiæ Frisingensis, qui postea factus Præpositus, in ea dignitate diem obiit.

Georgius Comes ab Ortenburg.

Anno Domini 1516. venit ad Academiam Alexander ab Ortenburg, mense Octobri: Anno vero 1543. mense Aprili Ioachimus Comes de Ortenburg. Año 1555. mense Octobri Antonius Comes de Ortenburg. Anno 1556. mēse Augusto, Leonhardus ab Ortenburg. quo anno Patres quoque de Societate Ingolstadium commigrârunt. Ortenburgensium in Bauaria stirps & familia in vno Comite ab Ortenburg, iam sene & cui nulla spes est prolis amplius, consistit, quo defuncto tota Ortenburgensium familia interit. Filius eius Comitis, qui etiamnum viuit, in migratione ad Ducem VVirtenbergensem, cuius sese addixerat seruitio, mortuus est prope Khelhaim oppidum Bauariæ, cùm antea domi, (si verum est, quod dicitur, neque tamen ego affirmo) egregiè cum imaginibus Diuorum pugnâsset, & iis vltimum quasi vale dixisset.

Alexander. Ioachimus. Antonius. Leonhardus.

ORTENBVRGENSES CARINTHIACI.

ANNO Domini 1558. mense Iunio ad Academiam venit heroicæ indolis, Illustris Dominus Erēfridus Comes ab Ortenburg &c. cuius Præceptor erat nobilis & doctissimus vir M. Paulus Prunner, de quo aliâs plura.

Erenfridus.

Celebris eo tempore fuit Academia, & eodem anno honestis literis simul dedere operam, sex Comites, Vndecim Barones, & duo illustres Domini, quos in Annalibus breui recudendis enumerabimus.

Erenfridus

Erenfridus. Erenfridus Comes in Ortenburg, &c. omnibus virtutum ornamentis claruit, humanitate in omnes, reuerẽtia erga Academicos, liberalitate in egenos, mira denique erga præceptorem obseruantia (de qua re etiam in annalibus nostris) & eruditione singulari. Rectoratu functus est Anno Domini 1559. semestri æstiuali.

Ioannes. IOANNES Comes ab Ortenburg, Baro in Freyenstain & Carlspach, Dominus in Ericurt, & Lill. &c. Domini Erenfridi ex fratre nepos, magnæ iam tum spei, & indolis optimæ. Venit ad Academiam Año Domini 1567. mense Decembri. Vsus est præceptore viro humanissimo & doctissimo M. Antonio Heckhelio Carinthio, de quo in annalibus. Gessit fasces Rectorales Año Domini 1569. semestri æstiuali: de eo comite verè tum poteram dicere,

Ante annos animumq́ geris, sensus viriles.

HOHENLOE.

VVolfgangus. EX Comitibus Hohenloênsibus, siue alta flamma, qui in finibus Franconiæ, VVirtenbergiæ, & Nariscorũ sua habent dominia, vnus tãtum scilicet VVolphgangus Scholam nostram illustrauit, Anno scilicet 1518. Venit ad Academiam in comitatu Illustrissimi Principis Georgij Landgrauij Leüchtenbergensis, mense Aprili.

HAG.

Leonhardus. PAVCIS annis pòst, scilicet Anno 1522. mense Septẽbri accessit Academiam Illustris Dominus Leonhardus Comes ab Hag, quod est oppidum nõ procul à VVasserburgo Bauariæ, Oenum sursùm versus. Ea familia sub Alberto Quinto Boiorum Duce nuper extincta est, Ladislao

dislao vltimo Hagensi Comite mortuo, & nulla relicta p-le Comitatum domus Bauariæ possidet; Leonhardus in matrimonio habuit Landgrauiam de Leüchtenberg, vt scribit Latzius.

COMITES A CASTELL.

VNo & eodem tempore, Anno scilicet 1532. mense Maio, venerunt ad Academiam Illustres Dñi Conradus Comes à Castell, Canonicus Herbipolensis, & Hẽricus Canonicus Babenpergensis, fratres Germani. Conradus Rectoratum gessit anno eodem semestri hyemali.

Cõradus & Hẽricus à Castell.

Anno Domini 1536. Illustrauit Academiam Georgius Henricus & Anno 37. Fridericus Comites à Castell.

Georgius Henricus & Fridericus.

SOLMENSES.

ANno Domini 1539. mense Iunio venit ad Academiam & ad Serenissimi Principis Alberti Ducis Bauariæ aulam accessit, qui tùm literis dabat Ingolstadij operam, Illustris Dominus Ernestus Comes in Solms, Dominus in Minzenberg.

Ernestus & Richardus & Bernhardus Comites à Solms.

Sequenti anno, mense Octobri accessere Illustres Domini Richardus, Canonicus Moguntinensis & Coloniẽsis, & Bernhardus Canonicus Coloniensis, Comites à Solms, fratres Germani. Eorum parens charus erat Serenifs. Principi Bauariæ Gulielmo Quarto, primusque fuit munitionum Ingolstadiensium architectus, neq; quicquam eorum, quæ condidit, auditum est concidisse.

MANSDERHEIT.

Hermannus.

ANNO Domini 1558. menſe Octobri relatus eſt in Vniuerſitatis album Illuſtris Dominus Hermãnus Comes à Mandershait in Vernenburg & Blanckhaim.

LODRONII.

Antonius Comes Lodronij.

EODEM Anno, menſe Septembri venit ad Academiam Dominus Antonius Comes Lodroni, qui ſequenti anno, ſemeſtri hybernali faſces Rectorales geſſit. Eum ego eſſe arbitror, qui adhuc in viuis eſt, & Salisburgenſi Patauienſique Canonicatu fruitur, ſtudiis literarum excellens, neutiquam exiguæ apud Archiepiſcopum Salisburgenſem autoritatis. Illius familia bellicis quoque laudibus eſt clariſſima.

Sebaſtianus Comes Lodronij.

Ex eadem familia nomen ſuum Vniuerſitati dedit Anno Domini 1569. menſe Auguſto, Sebaſtianus Comes Lodroni. Eius Præceptor erat Iacobus Bonareldus ab Ampho presbyter.

HOLSTAIN.

Hermannus.

EX familia Comitum in Holſtain illuſtrauit Academiã Hermãnus Comes in Holſtain, & Schauenberg, Dominus in Gemmin &c. Canonicus Eccleſiæ Colonienſis. Acceſſit Anno Domini 1560. menſe Nouembri.

ARNBERG.

In

IN Comitatu, trium Sereniſſimorum Ducum Bauariæ, qui etiamnum in viuis ſunt, acceſſit etiam Anno Domini 1563. Carolus Comes Arnbergenſis, Baro Seuenbergenſis &c. Eius Præceptor erat, Evvaldus Lehēman Adenanus. Habebat præterea ſecum Comes Philippū VVerb Antuerpianum, Henricum Hagen Tolenhanſenū Tranſiſulanum, & Bernhardum Quat Iuliacenſem nobiles.

Carolus Comes Arnbergenſis.

POLONI.

IN SEQVENTI anno menſe Iunio acceſſerunt duo Comites Poloni, Andreas Comes in Tentzin, & Hieronymus Comes in Roſdrazon.

Comites à Tintzin & Roſdrazon.

HANAV.

ANNO Domini 1541. floruit in Academia Reinhardus Comes ab Hanau, Dominus in Münzenperg. Eius Præceptor erat M. Iacobus Schvvartzkhopf, Rudiſhemenſis.

Reinhardus ab Hanau.

LEENSTAIN.

EODEM Anno menſe Septembri venit ad Academiam VVolfgangus Comes à Leenſtain, Dominus in Scharfeneck &c. Rectoratu eſt perfunctus, anno ſequenti æſtiuo ſemeſtri.

VVolfgangus.

SVLTZ.

CHRISTOPHORVS & Rhudolphus Comites à Sultz &c. cohoneſtârunt Academiam Anno. 1569. Præ-

Chriſtophorus & Rhudolphus.

ceptor eorum erat M. Christianus Braun Alsata, vir integer, humanus & doctus.

MONTFORT.

Gulielmus.

INTER Comites à Montfort primus Academiam inuisit Anno 1517. Gulielmus Comes à Montfort, & Tetnangen &c. Anno Domini 1541. mense Iunio aduenit Vdalricus Comes à Montfort. Moritur is in Burgundia, cùm nomine Imperatoris Caroli Quinti legatione fungeretur. Erant tum temporis frequentes in Academia & Comites & Barones, fama, vt opinor, Serenis. Boiorum Ducis Alberti, & Vdalrici Ducis Mechelburgensis, qui eo tempore literis dabant operam, exciti.

Georgius & Ioannes.

Anno Domini 1571. mense Septembri accesserunt ad Academiam verè illustres & generosi Domini, Georgius & Ioannes Comites à Montfort, Domini à Bregantio, in Tetnang, Argen & Mansperg &c. Georgius Rectoratus dignitate magna cum laude est perfunctus Anno 71. semestri hyberno: nunc temporis Pincernam agit augustissimi Imperatoris Rhudolphi secundi, quo munere etiam apud Maximilianum secundum functus est. Anno superiori legationem obiit ad potentissimos Hispaniarum & Lusitaniæ reges, nomine Imperatoris, eamque propria persona & autoritate, summa cum laude perfecit. Ioãnes Imperialis Cameræ Iudicij apud Spirenses Nemetũ Præsidem agit. Mortuo vltimo Comite à Montfort, adepti sunt dominia Tetnang, Argen & quædam alia ad lacum Podmanicum. Prodierunt Ingolstadij in aream Philosophicam & Theses in Philosophia publicè, cum omnium admiratione defenderunt, de qua re plura in annalibus. Comitum Præceptor erat, Iacobus Schvveizer, qui superiori

riori anno in seruitio Reuerendissimi & Illustrissimi Principis Ernesti Episcopi Frisingensis diem obiit.

Anno Domini 1573. mense Nouembri accessit VVolfgangus Comes à Montfort. Rectoratum gessit, Añó 1578. hyberno semestri.

Anno Domini 1577. mense Octobri relatus est in album Vniuersitatis Sigismundus Comes à Montfort.

SCHVVARRZENBVRG.

IN comitatu Illustrissimi Principis ac Domini Philippi Marchionis Badensis accessit Anno 1571. VVolfgangus Iacobus à Schvvartzenburg, Comes, Boius.

VVolfgangus Iacobus.

ARCH.

ANNO Domini 1578. mense Decembri aduenerunt Guidus Baldus, & Vespasianus Comites ab Arch, Athesini. Habitauit ea familia aliquando, iuxta Auentinũ & Lazium, in Bauaria, & dicebantur Comites à Pogen, infra Deckhendorfium & Straubingã, ex quã familia natus fuit Adalbero Comes Pogensis Bauarus, Conradi secundi Imperatoris ex sorore nepos, Episcopus Babenpergensis Anno 1054.

Guidus Bald. & Vespasianus.

COMES A MANSFELD.

EX Comitibus Mansfeldensibus etiamnum Scholam nostram illustrat, Dñs Otho Comes à Mansfeld, cuius maiores domi forisque, pacis bellique studiis, tãq; Ecclesiasticis, quàm politicis dignitatibus claruere. Ipse

Otho Comes à Mansfeld.

verò Comes OTHO non minorem rerum maximarum ſpem de ſe exhibet, pulcherrimis multarum virtutum ornamentis commendabilis, magni animi heros, & tam eruditione, humanitateque, quàm nobilitate & generis ſplendore excellens. Præceptore vtitur M. Laurentio Finchtuſio Lipſenſi, viro humaniſſimo, doctiſſimoque.

Hæc ſunt candide lector, quæ de Comitibus, qui noſtram Academiam illuſtrârunt, adferre volui.

ACADEMIÆ INGOLSTADIANAE PARS QVINTA DE BARONIBVS.

SCHLICKHII ET FRAVNBERGERI.

Stephanus Schlickh.

BOHEMICA eſt Schlickhiorum, ſed Fraunbergerorũ Bauarica familia. Et ex Schlickhiis vnus tantùm Academiam noſtram illuſtrauit, ſcilicet Stephanus Schlickh Baro in VVeiſſenkirchen &c. Canonicus Ratisbonenſis, Anno Domini 1484. Et vnâ cum eo Anno eodem Leonhardus à Fraunberg, Baro in Hag.

SEMPER LIBERI A LIMPVRG.

EX ſemper liberis à Limpurg complures Academiam noſtram ornârunt. Et Anno quidem Domini 1486. Georgius de Limpurg, ſemper liber, ſacri Romani Imperij Pincerna hæreditarius &c. Eccleſiarum Argentinenſis, Babenpergenſis, & Herbipolenſis Canonicus. Electus ſcribitur poſtea, Anno 1505. in Epiſcopum Babenpergenſem, cui decem & ſeptem annos fœliciter præfuerit. Obiit Babenpergæ Anno Domini 1522. die vltimo Maij, de quo paulò pôſt plura.

Georgius de Limpurg.

HIERONYMVS de Limpurg acceſſit Academiam, Anno Domini 1497. Et iterum Anno 1498. Melchior de Lympurg Canonicus Patauienſis. Poſtea Anno 1516. Carolus de Limpurg, Canonicus Babenpergenſis & Herbipolenſis. Anno vero 1539. Philippus à Limpurg. Et Anno 1555. Fridericus à Limpurg: Vltimò Anno 1556. Ioannes de Limpurg. &c.

Hieronymus. Melchior. Carolus. Philippus. Ioannes.

Illuſtris ſanè illa eſt apud Francos Orientales familia, ex qua complures prodierunt Epiſcopi, nempe Georgius Pabenpergenſis, Eraſmus Argentinenſis, Gotfridus Herbipolenſis: & quidam alij; ex enumeratis primi duo parentum noſtrorum, & pene noſtra quoque vixerunt memoria.

Epiſcopi ex familia Limpurgēſi.

DAPIFERI A VVALD-PVRG.

DAPIFERORVM à VValdpurg familia apud Sueuos vetuſtiſſima, nobiliſſimaq;, belli & pacis artibus, ſtudiisq; illuſtris, & literis honeſtis, eruditioneque clariſſima ſemper fuit. Et Anno quidem, 1494. acceſſit ſtudiorum gratia Chriſtophorus Dapifer, Baro in VValdpurg, quem ego filium Ioãnis Dapiferi fuiſſe arbitror, qui in bello Ba-

Chriſtophorus Dapifer à VValdpurg.

Christophorus frater Othonis Cardinalis. uarico Ducis VVirtenbergensis vexillifer fuit, mortuusq; est Anno 1511. Anno Domini 1520. aduenit Christophorus Dapifer à VValdpurg, frater, vt opinor, Ottonis Cardinalis & Episcopi Augustani, qui in expeditione Tunetana diem suum obiit; Anno 1536. aduenit Georgius Dapifer à VValdpurg.

Fridericus. Anno Domini 1557. accesserunt Fridericus, Gebhardus, & Carolus à VValdpurg, fratres Germani. Fridericus subsequenti anno proximè Rectoratus dignitate functus est. Gebhardus. Gebhardus eligitur in Archiepiscopum Coloniēsem & S. Romani Imperij Septemuirū Anno 1578. Anno denique 1558. literis in nostra Schola operam dederunt Ioannes & Iacobus Dapiferi à VValdpurg.

Otho Cardinalis. Huius familiæ non vnquam intermoriturum decus & ornamentum illustre fuit Otho, presbyter Cardinalis, Episcopus Augustanus, singularis literarum Mecænas, propterea quòd ipsemet, veluti pietate & omni genere virtutum multis præibat Episcopis, ita eruditione & literarum amore nulli suæ conditionis cedebat. Obiit cum omnium bonorum, doctorumque virorum, tum totius pene Germaniæ, cuius patronum in vrbe agebat, & protectorem summo luctu Romæ, Anno Domini 1573.

STAVFF.

Bernhardus à Stauff. ANNO Domini 1502. accessit ad Academiam Bernhardus à Stauff Baro. Eius parens Bernhardinus à Stauff, Baro in Ernfels &c. tum temporis præfectum agebat vrbis Ingolstadianæ, & Anno Domini 1504. in bello Bauarico, equitatus Boiarici ante vrbem Dux militaris fuit. Anno verò 1522. literis operam dedit Marcellus de Stauff, Baro.

LOSENSTAIN ET SINZENDORF.

EODEM Anno, scililicet 1507. aduenerunt simul Panthus & Maximilianus fratres, Sebastianus & Gregorius itidem fratres, Barones de Losenstain: Et Stephanus de Sinzendorff Baro.

Sebastianus & Gregorius.

SCHVVARZENBERG.

EX familia Baronum à Schvvartzenberg, illustrârunt Academiam Anno Domini 1516. Paulus à Schvvartzenberg, Ecclesiarum Cathedralium Moguntinensis, Bambergensis, & Herbipolēsis Canonicus. Anno Domini 1527. Gulielmus à Schvvartzenberg, Canonicus Ecclesiæ S. Burckhardi Herbipoli. Anno 1536. Georgius à Schvvartzenberg. Anno 1537. Paulus à Schvvartzenberg, qui anno 42. Rectoratus honore perfunctus est. Anno vero 1558. Christophorus, & año 63. Gervvickhus à Schvvartzenberg.

Paulus. Gulielmus. Georgius. Paulus. Christophorus & Gervvickhus.

HAIDECKH ET LIECHTENSTAIN.

EX Baronibus ab Heideckh vnum tantùm nostra habuit Academia. Is est Ioannes ab Heideckh, Canonicus Babenpergensis, relatus in album Vniuersitatis Anno 1520. Vnus itidem ex Liechtenstainensibus Carnis, Otho Baro in Liechtenstain & Murnau, supremus Camerarius in Stiria, & Marescalcus Carinthiæ Anno Domini 1527. in Schola nostra claruit.

Otho Baro in Liechtenstain.

DEGENBERG.

Degenbergensium familia & antiqua & perdiues est apud Boios inferiores: & ex ea duo Scholam nostram exornârunt, Anno ſcilicet 1514. Dominus Ioannes à Degenberg Baro; & Anno 1570. Ioannes Sigiſmundus à Degenberg, Baro, qui etiamnum in viuis eſt, & hoc ipſo anno magnificas celebrauit nuptias Straubingæ.

Ioannes. Ioannes Sigiſmundus à Degenberg.

LAMBERG.

Celebris eſt apud Carnos tam belli, quàm pacis ſtudiis aſperrima gens, Baronum à Lamberg familia. Anno Domini 1527. acceſſit ad Academiam Chriſtophorum à Lamberg Canonicus Salisburgenſis.

Chriſtophorus à Lamberg Præpoſitus Salisburgenſis.

Fuit is noſtra memoria primò Decanus, deinde eiuſdē Eccleſiæ Salisburgenſis Præpoſitus & Archidiaconus. Vir pietate grauis, literatus, literatorum & pręſertim Muſices perquàm ſtudioſus amansque. Epiſcopatum Secouienſem oblatum aliquādo acceptârat, ſed neſcio qua de cauſa mutauit conſilium, iisque reddidit, vnde acceperat, fortè quia ſe tantæ negotiorum moli imparem eſſe arbitrabatur, aut quia priuatus malebat viuere; ſed hæc tantùm coniicimus.

Archiepiſcopatum Salisburgenſem nunquam affectauit, oblatum aliquando modeſtè renuiſſe dicitur. Succeſſit in Prępoſitura Reuerendiſſimo Principi & Domini Eberhardo ab Hiernhaim, Epiſcopo Aichſtadiano & Prępoſito Salisburgenſi. Obiit plenus dierum, laboribus exhauſtus, ſenio, canisque venerandus menſe Martio, Anno 1579. Ei in præpoſitura ſubrogatus eſt, vir nobilis & antiqui apud Carnos generis, eruditionis ſingularis, raræ

prudentiæ,

prudentiæ, Consilij maximi, pietatis summæ, & vitæ integerrimæ, Georgius à Khuenburg, Canonicus Salisburgensis, & Præpositus veteris Oetingæ.

Anno Domini 1572. operam dederunt literis òptimæ indolis Adolescentes Ioannes Iacobus, & Raimundus à Lamberg, Barones in Orteneckh, & Ottenstain.

Ioannes Iacobus & Raimundus.

VVOLCKHENSTAIN.

EX Tyrolensi Baronum à VVolckhēstain familia duo cohonestârunt Academiam, nempe Simon Iudas Baro, Anno 1536. & Anno 1576. Ioannes Baro in VVolckhēstain & Rodeneckh, iuuenis cùm corporis tum animi Ornamentis verè illustris: gessit Rectoratum Anno Domini 1577. semestri hyemali.

Ioannes Baro à VVolckhēstain.

GRAVENECKHII.

NOBILIS est apud Sueuos Graueneckhiorum familia, ex qua annis superioribus quidam Abbatem in Monasterio Imperiali Campidona egit, de quo Bruschius consulatur. Ex ea quoque duo nostram Scholam auxerunt, Ioannes Anno 1536. & Anno 1566. Ferdinandus Baro in Graueneckh & Burgberg.

Ioannes, Ferdinandus.

FVGGARI.

NON mirum cuiquam videri debet, si multis iam ab hinc temporibus Illustres Sueuiæ Barones Fuggeri non solùm insignes Musarum & omnis literaturæ literatorumque Mecænates extiterunt, sed etiam tum in hac

Fuggeri literati & literatorum Mecænates.

Academia, aliisque Germaniæ Scholis, tum etiam in exteris & iam olim sustentârunt, & nunc quoque sustentant alumnos (in quo liberalitatis genere post Principes viros, illis in Germania similes non reperies) cùm tot ex ea familia literis dederint operam cum in Germanicis tùm etiam exteris Academiis, & ipsimet in doctos euaserint viros.

Hieronymus Fugger.

Anno Domini 1540. cæpit operam dare literis in nostra Academia Hieronymus Fugger Baro in Kirchperg & VVeissenhorn, Antonij Fuggeri filius, Domini Marci, qui nunc præfectus est vrbis Augustanæ Cæsareus, Ioannis & Iacobi, qui adhuc omnes in viuis sunt, frater Germanus. Is cælibem egit vitam, certis iisque annuis à fratribus, qui bona possidebant, perceptis redditibus. Obiit in arce Oberndorf, non procul ab oppido Rhain Bauariæ anno 74.

Iacobus.

Dominus Iacobus ad Academiam accessit Anno 1550. & Rectoratum primus inter Fuggeros gessit Anno 1553. semestri hyemali. Habet nunc quoque sibi coniunctam matrimonio Annam ex antiquissima & nobilissima Boiorum familia Ilsungorum, quorũ maiores Comitum gaudebãt dignitate, Patre Georgio, belli pacisq; studiis & legationibus imperatoriis clarissimo, præfectoque Sueuiæ natam.

Carolus.

Anno Domini 1551. venit ad Academiam Carolus Fuggerus D. Ioannis Iacobi, qui nuper in aula Bauarica claruit, & Cameræ Præsidem egit, filius. Præfecti aliquandò stipatorum Germanorum Regis Hispaniæ functus est munere, vt pote qui procerę & planè heroicę esset corporis staturæ: & tumultuantibus Belgis militum pro eodem rege Dux factus, ibidemque captus à statibus Belgarum, cùm longo tempore in vinculis esset retentus, tandem libertati, vt ferebatur, anno superiori, singulari Dei

beneficio,

beneficio, qui pro Ecclesia & Religione Catholica legitimè certantes nunquam deserit viuos, mortuos verò æterna & immarcescibili remuneratur corona, restitutus est. Obiisse dicitur.

Illustrauit itidem Academiam Alexander secundus, Domini Caroli iam dicti frater Germanus, Præpositus nunc temporis Frisingensis, inscriptus in album Vniuersitatis Anno 1532. Et frater eorundem Maximilianus Anno 1555.

Alexander Fuggerus.

Maximilianus.

Eodem anno nomen suum dedit Vniuersitati Philippus Eduardus Fugger, Georgij Fuggeri, summi, dum viueret, Matheseos patroni, ex Vrsula à Liechtenstain Tyrolensi filius, & Año 1556. eiusdem frater Octauianus.

Philippus Eduardus.

Octauianus.

Anno eodem inscriptus est Victor Augustus, itidem D. Ioannis Iacobi Fuggeri filius, qui nunc tempotis Canonicatu Patauiensi & Pręposituꝛa Ratisbonensi potitus: & anno insequenti frater eiusdem Seuerus Fugger.

Victor Augustus.
Seuerinus.

Anno Domini 1572. nomina sua dederunt Academię prædictorum fratres Alexius & Ioãnes Fuggeri, & rursus frater eorundem Anno 80. Albertus Fuggerus Barones.

Alexius Ioannes & Albertus.

Anno Domini 1573. venit ad Academiam Marcus Fuggerus & Anno 1576. fratres eius Germani Christophorus, & Iacobus Fuggeri, Domini Ioannis Fuggeri Baronis Kirchperg &c. filij. Dominus Marcus Anno 1577. Rectorales gessit fasces, non sine debita magnificentia & honore. Eorum erat Præceptor ornatissimus vir ac Dominus M. Martinus Brenner, qui Illustris Domini VVolfgangi Comitis à Montfort in Rectoratu, magna cum laude vices gessit.

Marcus, Christophorus & Iacobus.

Anno Domini 1576. relatus est in album Vniuersitatis Philippus Fuggerus; & Anno 1577. Georgius & Antonius Fuggeri, fratres Germani, & Marci præfecti Augustanæ vrbis filij.

Philippus.
Georgius.

Ioannes Ludouicus, & 65. VVolfgangus à Colobrat. Año denique 1571. Ioannes Georgius à Schvvamberg generosi Petri, Domini Boræ, Ronspergæ &c. Consiliatij hæreditarij S. Mariestatis Cæsareæ, & Iudicis regni Boëmici filius. Ad Boëmos referendi etiam videntur Andreas & Georgius à Sternberg, qui anno 75. Academiam accesserunt & dominia in Bohemia possident.

Ioãnes Georgius à Schavvamberg

Andreas & Georgius à Sternberg.

TANHAVSEN.

EX familia Baronum à Tanhausen vnum in matricula Vniuersitatis reperi, Bartholomæum scilicet à Tanhausen Baronẽ, Canonicũ Salisburgẽsem & Pataueẽsem, Anno 1543. Cæterùm est ea familia perquã celebris, & tã belli, quàm studiis claruit. Natus est is Bartholomæus ex Domino Francisco à Tanhausem, Impp. Caroli Quinti, & Ferdinandi primi, itẽ Archiepiscopi Salisburgensis Cõsiliario, Capitaneo, & Vicedomino in Friesach. Fratres habuit quinq;, vt sex essent vnius parẽtis filij. Natu maximus erat Christophorus, Dapifer hæreditarius Archiepiscopatus Salisburgensis, Cæsaris Ferdinandi & inferioris Austriæ Consiliarius Cameræ, & Capitaneus Carinthiæ. Alter Georgius, Dux & Consiliarius militaris Cæsaris Ferdinandi, qui sæpius contra Turcas pugnauit. Tertius Bartholomæus: Quartus VVolfgangus Theodoricus, Archiducis Austriæ Ferdinandi pincerna, seu pocillator. Quintus Iacobus Cæsaris Ferdinãdi pocillator. Sextus, q solus in viuis est, Paulus, Archiducis Austriæ Caroli vicecenẽs in Carinthia, & Archidapifer Archiepiscopatus Salisburgensis. Horũ est soror omniũ Elisabetha, Dñi Iacobi Khuen, Capitanei summi apud Salisburgẽses, cõiunx, de qua re etiam suprà in nostro diximus carmine. Familia Tanhauserorum innumeris pene annis bene merita est de

Bartholomæus à Tãhausen Canonicus Salisburgensis.

Tanhausen fratres Sex.

domo

Paulò antè mense scilicet Martio accesserunt Albertus Herboet de Fulstin Baro, in districtu Leopoliensi: & Georgius Kormanitzky Baro ex eodem districtu. Anno 77. Petrus Kormanitzky Baro. Anno 80. aduenerunt Stanislaus in Rusozizil Baro in Palatinatu Lanciciensi ex antiqua familia Lasconum, Paulus in Dzialin Baro in Palatinatu Cuiavviẽsi. Albertus à Ponethau in Palatinatu Lãciciensi, & Andreas Tomitzki Castellanus Gniessensis.

Albertus Herboet

Petrus Knosinski.

Petrus Kusozil

Paulus Dziachl.

Albertus à Ponethau.

Andreas Tomiskiy.

LITVANI.

EVSTACHIVS Tisknoioicz Palatinides Smoliencensis, Lituanus, egregiæ indolis adolescens & Oratoriæ facultatis, historiarumq; perquàm studiosus. Habebat secum præfectum multæ humanitatis Georgium Galicantum, equitem Lituanum: anno 77.

Eustachius Tisknoioicz.

Georgius Galicantus.

ANNO 1580. aduenerunt Paulus Narusovvicius Lituanus, Capitaneus Marcouiensis & Miadetensis. Et Adamus Talvvoisz Lituanus, Castellanus Samogitiæ: cum alijs tribus nobilibus Lituanis. Atq; eò & lubentiùs & diligentiùs cum polonos, tum Lituanos enumerare volui, non solùm, quia digni essent, qui huic insererentur Catalogo, sed etiam vt scholæ nostræ famam & celebritatem remotas quoq; & exteras nationes peragrâsse intelligeret lector: Sed reuertemus ad nostræ gentis homines.

Paulus Narusovvizius.

Adamus Talvvoiz.

MEXLRAIN.

Ludouic⁹ à Mexlrain.

ANTIQVA est, opulentaque Baronum à Mexlrain apud Boios familia. Ex ea ornauit nostrã Scholam Ludouicus à Mexlrain Baro in VValdeckh Anno 64. sub Præceptore M. Abrahamo Strobelio, de quo in nostris annalibus.

A TVRRI.

Sigismundus à Turri.

CELEBRIS est & diues in Archiepiscopatu Salisburgensi familia de Turri: quanquam maiorem bonorũ partem habeat in Bauaria. Accessit ad nos anno 67. Sigismundus de Turri Baro in Neüenpeuren & Au, Archiepiscopatus Salisburgensis Pincerna hæreditarius. Eius parens hũc Baronis titulum primus est promeritus. Dignitate tamen & officio Pincernæ nunc temporis gaudet Achatius à Turri eiusdem familiæ, sed cui Baronis titulus non est contributus.

POLVVEILER.

Cõstãtinus, Georgius & Rhudolphus.

BELLI, pacisque studiis clarissima & nobilissima est apud Alsatas Polvveileriorum familia. Ex ea anno 69. honestârunt Academiam Constantinus, Georgius & Rudolphus à Polvveil, Barones in VVintherthall, fratres Germani. Eorum parens cùm Constantiensis vrbs Austriacis sese dederet, primus fuit regis Ferdinandi ibidem præfectus, multum de religione Catholica, quæ tum rursus in eam inducebatur vrbem, meritus.

MECKHAV ET MAL-DITZ.

ſed qui eſt ipſi inter patritios ſunt Auguſtæ adſcripti. Claruit in Academia noſtra Año 1549. Iacobus Villinger, Caroli Villingeri, herois eruditi, & Baronis in Seyfridſperg, filius: & Is quidem eſt, cui clariſſimus & doctiſſimus vir VVolfgangus Hungerus, Cãcellarius Friſingenſis, Anno 1555. annotationes ſuas in Diarium Ioannis Cuſpiniani Viennenſis, & Imperatorij Medici ac oratoris dedicauit. Eiuſdem Iacobi, de quo nunc agimus, auus fuit, Iacobus Villinger, Theſaurarius Imperatoris Maximiliani primi. Cui Diarium ſuũ ſuper memorabili Cæſaris Maximiliani & trium Regum cõgreſſu apud Viennã antè dedicauerat. Vnde facile poteſt colligi, Villingeros & ipſos eruditione inſigni claruiſſe, & ſingulares eruditorum fuiſſe patronos.

Iacob⁹ Villinger Caroli filius.

RHYE.

ANNO Domini 1554. dedit operam literis Franciſcus à Rhye Baro Burgundus: & Anno 1558. Rectoris officio eſt functus Benignus de Chaſſoy, Burgundus Biſantinus.

Franciſcus à Rhye.

VVOLFSTAIN.

EODEM Anno 54. claruere in noſtra Academia Ioannes Andreas, & VVilhelmus Eraſmus de VVofſtain Barones. Eos eſſe arbitror, qui prope Neüenmarck ſuam in arce Pierpaum habent reſidentiam.

Ioannes Andreas, & Gulielmus Eraſmus.

PAVMGARTEN.

PAVMGARTERORVM familia iam multis annis honeſtiſſimo inter patritos Auguſtanos loco claruit. Aca-

INGOLSTADIANÆ ACADEMIAE PARS SEXTA DE ARCHIEPISCOPIS & EPISCOPIS.

AD REVERENDVM NOBILEM, PIETATE ERVDITIONEQVE PRÆSTANTEM VIRVM AC DOMINVM IOANNEM A KHVENBVRG, Canonicum Salisburgensem, &c. fautorem suum perquàm singularem.

CONTEXVRVS breuē quandam historiam, seu potiùs Catalogum eorum, qui è Schola nostra progreßi ad Archiepiscopatus & Episcopatus sunt euecti, Reuerende & Nobilis Domine Ioannes, plures quidem numero esse cogitabam, qui tum Episcopatus, tum Suffraganeatus dignitatē essent adepti, quia tamen operis exiguitas et temporis breuitas festinationem vrgebat, cogitandiq́ eripiebat spacium, aliquot tantùm & fato defunctos, & adhuc in viuis existentes deligere malui. Quia verò in vita iam defunctis non videbatur mihi maior (aliis etiam suum relinquo iudicium) quàm, fœlicis memoriæ, Reuerendiss. & Illustriss. Princeps ac Domi-

Dominus, Dominus Michaël Archiepiscopus Salisburgensis, etc. tuæ Reuerentiæ patruus fuerit, non arbitrabar, hoc ipsum scriptum æquiùs pertinere ad alium, quàm ad eius nepotem, vt beneficium acceptum, vnde promanauit, eô rediret. Ingenuè enim fateor, quicquid sum, quanquam illud exiguum, id ipsum me liberalitati Reuerendiss. & Illustriss. Principis Michaëlis, tui patrui, omnino debere. Qualecunque igitur hoc est munusculum, Reuerende & doctissime D. Ioannes. benignè quæso accipe, boniq; consule, & quicquid à me factũ, id animi mei gratitudini, quam ego familiæ Khuenburgerorum iustè debeo, attribue, meq; tuo fratri Domino Georgio, Archiepiscopo Salisburgensi designatò, diligenter commenda. Bene vale. Ingolstadij 20. die Februarij Anno 81.

Tuæ Reuerendæ & nobilis
Dominationi

addictissimus

VALENTINVS ROTMARVS
P. L. & Professor Oratoriæ Ordinarius.

ANNO 1572. acceſſit ad Scholæ incrementum & decus, Caſparus à Meckhau, Baro in Khretzen Auſtriacus, & Anno 1533. Albertus Magnus à Malditz Dominus in Hayerſchvverda Baro.

Caſparus à Meckhau.

Albertus à Malditz.

MADRVTZ.

CELEBRIS eſt & honoribus Eccleſiaſticis, Cardinaliatus & Epiſcopatus dignitatibus, & rei militaris ſcientia Dominorum à Madrutz apud Atheſinos familia. Ex ea ornauit Academiam Anno 77. Angelus Ioannes Gaudens à Madrutz,

Angelus Ioannes Gaudentius à Madrutz.

KHVEN.

ANNO Domini acceſſit ad Academiam Ferdinandus Khuen, de Belaſi in Liechtenberg & Gartenau, liber Baro in Neüenlempach, adoleſcens heroicæ omnino indolis & ſpei optimæ. Rectoratum gerebat, cùm hæc ipſa commentari cæpiſſem. Parens eius eſt illuſtris & generoſus Dominus, Iacobus Khuen Baro &c. aques auratus, Salisburgenſis Archiepiſcopatus Camerarius hæreditarius, ſummus Capitaneus, & præfectus in Mildorf, & Mitterſill &c. habet matrimonio ſibi coniunctam Eliſabetham, ex Illuſtri Baronum à Thanhauſen familia natam, quæ vnicum hunc ex Iacobo Khuen Barone &c. ſuperſtitem habet filium; de familia Thanhauſiorum vide ſuprà. Claruit Khuenorum familia iam multis annis in Ferdinandi primi Imperatoris, & adhuc claret in eiuſdem nepotum aula, & ſi celebritatis haberet parum, vti plurimum ſemper habuit, ſat vno Archiepiſcopo Salisburgenſi, Ioanne Iacobo Khuen, noſtri Magnifici Do-

Ferdinandus Khuen.

DE ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS PRÆFATIO.

AD ARCHIEPISCOPORVM & Episcoporum descriptionem accessurus, lector candide, illud ego te admonitum volui, quòd nulla vel gratia vel odio paucos elegerim, sed quòd ipsum opusculum certis circumscribendum erat limitibus, multitudinem non admittebat, & quòd pauci ex ijs mihi noti, & ego complures ad commodiorem locum reseruare volui. Itaq; insigniores quosdam elegi, reseruatis cæteris tũ Episcopis, tum Suffraganeis, tam viuis quàm defunctis in tempus & locum magis opportunum. Quod ne quisquam in sinistram interpretetur partem, sed candidè, animoq; sincero accipiat velim. Breui enim fiet, vt hac si boni consulta fuerint, absolutis Iurisconsultis, Medicis & Philosophis, eiusmodi virorum appendix prodeat. Benè vale amice lector.

IOANNES CAMERER A DALBVRG EPISCOPVS VVORMATIensis Sexagesimus tertius.

INTER eos, qui è nostra progressi Academia ad Episcopales dignitates Principatusque Germaniæ sunt euecti, veluti eruditione, & plurimarum virtutum ornamentis primas penè sibi partes vendicat, ita etiam locum suo iure obtinebit primum Ioannes Camerer à Dalburg, Ecclesiarum Cathedralium Treuirensis & Spirensis Canonicus, & post VVormatiensis Episcopus. Accessit nostram Academiam, anno 1478. die 27. Augusti. Iure profectò suo tanto Academia nostra gloriari potest alumno.

Ioannis Camerer à Dalburg linguarum peritia.

Singulare enim & illustre non suæ tantùm familiæ, sed totius Germaniæ decus & ornamentum fuit, vtpote qui & iurisprudentiæ linguarumque trium cognitione, & summa cum in Latino, tum etiam Italico, Germanicoque idiomate eloquentia, tum verò prudentia & in rebus agendis industria æqualem ferè sibi nullum, superiorem certè se neminem suą ætate habebât. Euectus est ad Episcopatum VVormatiensem, anno domini 1483. Reinhardo nobili à Sickhingen subrogatus.

Mecænas studiorum.

CVM ipsemet præter istorum temporum fortunam esset doctissimus, politioris etiam literaturæ, linguarum, & omnium Studiorum incomparabilis fuit Mecænas, quæ tum quasi postlimio reuocata, ex tenebris eruta, à barbariei sordibus repurgata, & penè non à mortuis exsuscitata, renascebantur, & caput exerebant altiùs. Quam rē sanè vir ille & Episcopus pijssimus, doctissimus, & prudentissimus omni labore, conatu & expensis liberalibus promouebat.

Præceptor Episcopi Rhodolphus Agricola.

PRÆCEPTORES & amicos habuisse scribitur summos Rhudolphum Agricolam, latinarum & grecarum literarum per Germaniam renouatorem: Et Reuchlinum Pforcensem ad syluam Hagenschiess, qui Hebraicam linguam primus in Germania docuit, variasque Comædias latinas composuit, publicauitque. Charus fuit Ludouico Comiti Palatino ad Rhenum, & ab eodem in negotijs grauioribus ad intima admissus consilia, qui sapientia, eruditione, virtuteque complures alios antecellebat. Quin & illustrissimi Principis & Comitis Palatini Philippi Orator fuit ad Innocentiū octauum Pontificem Max. vt videre est ex opusculis Rhudolphi Agricolę editis Antuerpiæ anno 1511.

INCIDERVNT

INCIDERVNT in Episcopatus illius annos magnę discordiæ, inter Episcopum totumque Clerum, & vrbem VVormatiensem, & ita quidem graues, vt res ad tumultum deueniret, & plebs VVormatiensis in Clerum ac templa sæuiret, & Episcopus vnà cum Clero vrbem relinquere, & Ladenburgum, quod oppidum supra Haydelbergam Rhenum versus ad Neccarum est situm, cogeretur secedere: vbi etiamnum Episcopi VVormatienses suam curiam & sedem Episcopalem hàbent. Instituit Ladenburgi insignem & copiosissimam Bibliothecam, ex doctissimis, & præsertim manuscriptis collectam, quæ multos in communem Reipublicę literarię, & studiorum humanitatis vtilitatem & incolumitatem post typis euulgatos Germaniæ libros communicauit. Obijt Ladenburgi, anno domini 1503. Consule Bruschium in Episcopis, & quædam etiam de eo habet Munsterus.

Concedit Ladenburgum.

Augusti sensus & non ignobile pectus
Illi erat, & fragili preciosa in corpore virtus.
Felices Musæ, quibus ille in rebus egenis
Mæcenas, fidusq; parens atq; anchora natus,
Quas pius è tenebris optata in luce profundis
Assertor statuit raptas, semperq; benigna
Protexit dextra & donis cumulauit amicis.
Viue pater superis: hominum quia sumus & vmbra
Plenaq; cunctorum vita est nisi lerna malorum.

PHILIPPVS A ROSENBERG
EPISCOPVS SPIRENSIS SE-*xagesimus septimus.*

POST Ioannem Camerer à Dalburg accessit ad nostram Academiam Philippus à Rosenberg, Ecclesiarum Spirensis & VVormatiensis Canonicus, vnâ cum Erasmo à Rosenberg, Canonico Aichstadiano, anno domini 1481. die 1. Februarij. Successit in Episcopatu Spirensi Ludouico ab Helmenstadt, cuius ex sorore nepos erat, anno domini 1505. Præfuit Episcopatui Nemetum magna cum laude & vtilitate. Virum egregiè doctum, bonum ac frugalem œconomum fuisse Catalogus Episcoporum Spirensium à Bruschio editus, testatur. Nam præterquã quòd in Academia nostra operã dedit bonis literis, in schola Ticinensi Doctoratus in vtroq; iure titulum est consecutus. Nam vsque adeò non aspernabantur nobiles eo tempore gradus seu honores & titulos scholasticos, vt magno nobilitati ornamento esse crederentur: Et Academia Ingolstadiana aliquot nobiles Professores habuit: ex quorum numero fuere Gisbertus de Stoltzenburg Traiectensis, Hieronymus de Croaria, Viglius Zvvichenius, Fabius Arcas de Narnia Romanus & quidam alij Itali, & qui etiam num in viuis est, VViguleus Hund à Lauterpach, in Sultzenmoss & Lendingen. Sed hæc parerga.

Philippus à Rosenberg fit Episcopus.

Iuris vtriusque Doctor.

Scribitur idem Episcopus etiam à Bruschio & à Munstero, Oppidum & Castrum Rottenburg, propter temporũ superiorum difficultatem Palatino Electori oppigneratum 14000 aureorum redemisse: & sub eiusdem gubernatione montem Olineti longè pulcherrimum, & toti Germaniæ notissimum esse constructum. Obijt Vdenheimij tertia Februarij, anno 1513. Sepelitur Spiræ prope auunculum suum.

Redimit oppignorata.

Obijt.

Dignus es æterno Præsul memorabilis æuo,
Cui tumulum Musæ statuant, super atq; sepulchro,

Quos

Quos possunt, addant versus: tibi carmina semper
Et Musa & Themidis studium immutabile cura.
Quem dederas nobis cursum, Deus alme, peregi,
Satq; mihi vixi: Nemetum si funera nostra
Lugeat, & raptum clerus me fortè reposcat
Non mea culpa Deus, nec ab his reuocarier oris
Exopto: pietas, turbataq; pectora Vatum
Excusant meritò & rebus trepitatio egenis
Viden vale mundus: vita meliore potitus,
Nunc & in aeterna Praesul sum pace repostus.

MATTHÆVS LANG CARDINALIS ET ARCHIEPISCOPUS Salisburgensis.

DITISSIMI, vt vulgò haberi, censerique solet, Archiepiscopatus Salisburgensis Præsules tres, eo quo sibi in Archiepiscopatus gubernatione successerunt ordine, Academiam nostram illustrârunt, scilicet Matthæus Lang Augustanus, Ernestus Dux Bauariæ, & Michaël à Khienburg, Tauriscus. Et quia de Ernesto Duce Bauariæ suprà in personis Principum virorum est dictum, nunc de reliquis duobus, & priori quidem loco, vti tempore fuit prior, de Matthæo Lang, sermonem instituemus. Langiorum familia ex Sueuia est oriunda, & cognomentum habet à VVellenburg, quod est arx & ditio non ita procul ab Augusta Vindelicorum vltra flumen VVerdam. Præclara fuit, & tum pecunijs, tum possessionibus ac prædijs, quæ non tantùm in Sueuia, sed longè augustiora in Archiepiscopatu Salisburgensi habebat, perquàm diues & opulenta, sed anno superiori, mortuo Marco vltimo in ea fami-

Langiorum familia à VVallenburg.

ea familia, penitus intercidit. Cæterum Matthæus Lang magnificus fuisse heros dicitur, vir singularis prudentiæ, animi excelsi, ingenij rotundi, in rebus agendis dexterrimus, ac proinde & summo Pontifici Iulio secundo, & augustissimo Imperatori, Maximiliano primo, rebus fælici-ter domi, forisque gestis præclaro, & nepoti eius Carolo Quinto verè magno charissimus. Pontifex Romanus anno domini 1513. Episcopum Gurcensem, & Cardinalē tituli S. Angeli eum creauit. Præpositum eundem Ecclesiæ Augustanæ fuisse, testantur primò insignia eius lapidi incisa, & domui Præposituræ apud Augustanos affixa: deinde ibidem Sacellum perquàm augustum, ab eo-dem constructum, vbi reconditorium seu sepultura est Langiorum, quô etiam vltimus eius familiæ Langius ex alpibus vsque est auectus, & terræ ibidem mandatus. Quin & Carthaginensem Hispaniarum Episcopatum fuerat vel summi Pontificis, vel quod verisimilius, Caroli Quinti beneficio consecutus, quem tamen nec possedit vnquam, nec vllos inde percepit redditus. Diuus Imperator Maximilianus, & frequenter ipsius opera, & quidē in grauissimis negotijs est vsus, & secretiora cum eo communicauit consilia. Legationes obiuit, fœliciterque & magnificè confecit, & quidem nomine Imperatoriæ Maiestatis, ad Iulium secundum Pontificem, ad potentissimos reges Ludouicum Galliæ, Vladislaum Hungariæ, Sigismundum Poloniæ, & Henricum octauum Angliæ regem. Quinetiam Maximiliani Imperatoris per Italiam vices gessit, Denique Caroli V. in Comitijs Franckfordiensibus, anno 1519. cùm Septemuiri Imperatorem eligerent, Oratorē & legatum egit. Vnde non immeritò summam vtriusque Imperatoris gratiam & fauorem, &

Matthæus Lang charus fuit Imperatori Maximiliano

Vicetenens per Italiam.

promptissi-

promptissimum promouendi sui studiū erat meritus. Nec dubitandum, quin tum summi Pontificis, tum etiam Maximiliani primi beneficio & procuratione Archiepiscopatum Salisburgensem obtinuerit.

PRAEERAT tum Archiepiscopatui, Leonhardus à Kheütschach, etiamnum moneta, cum rapę insignijs celebris, Princeps antiquæ fidei & virtutis, iamque senio laboribusque confectus. Ei coadiutor fit Matthæus Lang Cardinalis, anno 1515, & curiam suam Mûldorfij ad Oenū non procul à veteri Oetinga, constituit. Ipsemet tamen Leonhardus Episcopus plenarium retinuit Imperium. Gerebant tum temporis adhuc Canonici Salisburgenses (id quod sine cuiusquam iniuria, & sine vlla Capituli ignominia dictum volo) scapulare seu potius humerale ex albo serico, vel albo linteo confectum. Id quod adhuc primam Canonicorum institutionem, & antiquum respiciebat morem. Id genus vestimenti seu ornatus coadiutor Matthæus, vt ipsis remitteretur, à summo Pontifice impetrauit. Ægrè eam rem tulit Archiepiscopus Leonhardus (id quod ex fide digno viro, qui in eius seruitio aliquandiu fuerat, puer audiui) neque viuo sibi, prædictum ornatus genus adimi passus est, quemadmodum ipsius effigies, quas ego depictas vidi, testabantur. Eam rem & veterem Canonicorum statum, aliquando his sum complexus versibus, de Collegiata quadam Ecclesia scribens:

Fit Archiepiscopus Salisburgēsis.

Dum veteris stabat non impia regula vitæ,
Antiqui mores & pristina secla manebant,
Communi vixêre domo, sedemq; tenebant
Ritè Sacerdotes vnam potuq; ciboq;

Vſi communi: ſed poſtera deſerit ætas,
Quod benè maiores quondam inuenere parentes.
Tu quoq;, Germanis quo non eſt ditior oris
Terra Salisburgum, vultu mutata priore
Templa vides, cultusq; tuos, Canonesq; profeſſos
Mutatos Myſtas, quando tua LANGIVS *arua*
Ingreſſus Præſul! noſtri meminere parentes
Candida de tunicis vatum velamina longis
Auferri, illius reſtant veſtigia vitæ,
Teſtantur libri, loquitur pariesq; domusq;,
Nec vitia hæc hominum, vergens ſed tempore ſero
Mundus ad occaſum fert vicinusq; ruinæ
Extremæ, moresq; hominum, vitamq; gubernans.

ANNO domini 1519. mortuo Leonhardo Epiſcopo ſuccedit in Archiepiſcopatus adminiſtratione. Adducebat ſecum ex Müldorfio integram aulam, omnibus officiarijs inſtructam, & pariter benè conſtitutam Salisburgi reperiebat; ſed nec ſuos, nec qui iam erant in aula, ex ijs quenquam dimiſit aut abegit, ſed communes illis operas commiſit: qua ratione, & modeſtia omnes in officio, & ſibi retinebat amicos, donec ipſimet officiarij vel conſortis impatientes vltrò dimiſſionem, cùm ſibi de aliis conditionibus proſpexiſſent, ab aula peterent, vel locum per mortem facerent vacuum. Ita prudentiſſimus ille Princeps adiunxerat ſibi omnes, & offenderat neminem.

Ruſticanũ bellum.

INCIDERVNT in eius Archiepiſcopi gubernationem tempora difficilima, grauiſsimaque etiam, tum initia inſanorum Lutheri dogmatum, tum crudeles, quæ inde exortæ tumultuantium, & ad inauſpicatam libertatem aſpiran-

aſpirantium ruſticorum in Magiſtratum & præſertim in Clerum graſſationes. Obrutus itaque ac penè à ruſticorũ furentium colluuie, qui in vrbem Salisburgenſem irruebant, interceptus, & à ſuis ciuibus præter expectationem, & datam fidem, vt quidam aſſeruerunt, deſertus Epiſcopus in arcem ſuam, quam Salisburgi monti excelſo, præruptæque rupi impoſitam, pulcherrimam, ampliſsimam, validiſsimam & omnibus cùm ad vitę ſuſtentationem neceſſarijs, & ad annos aliquot ſufficientibus, tum ad bellicos reprimendos furores accommodatis inſtructiſsimam confugit.

Obſidetur in arce Archiepiſcopus.

RVSTICI aulam Principis occupârunt, & compotationibus indulſere. Arcem bellico tormento, quod ex ligno, ferreis munito annulis erat fabrefactum, fruſtra inuadebant. E contrà ſuas quoque bombardas quandoque ad terrorem incutiendum, exonerari iubet in arce Epiſcopus, qui cùm de ciuibus, propter læſam fidem, ſupplicium poterat ſumere, multiſque ad eam rem frigidam in arce ſuffundentibus, igne totam vrbem abſumere, noluit tamen optimus Princeps & ſemetipſum & ſuos ciues peſſundare.

Bombarda ruſticorum lignea.

OBSESSVS aliquandiu in arce Archiepiſcopus tandem illuſtriſſimorum Ducum Bauariæ auxiliaribus copijs, qui militem illi in ſubſidium adduxerant, liberatus eſt, multi ex primarijs ruſticis ſuæ temeritatis, inſaniæ, perfidiæque pœnam dederunt cruentam, & pax toti Archiepiſcopatui reſtituta eſt. Atque hæc omnia cum multorum ex ipſius aula procerum ſtrenua & fideli opera, tum verò ſingulari Archiepiſcopi induſtria & prudentia ſunt geſta & compoſita, qui etiam cùm recreationibus indulgeret, de rebus arduis conferre, diſputare, & fœliciter ſtatuere ſolebat poteratque.

Liberatur à copiis Bauaricis.

PRÆFVIT Episcopatui ab anno 19. vsque ad annũ 1540, & humanis valedixit rebus, mense Martio, cùm penè per biennium non vsque adeò integra vsus esset valetudine.

Ergo pater rutilum vectus super æthera, cælo
Qui frueris, animi atq; eluta corporis omni
Labe, & iam Diuis mixtus summi ora tonantis
Et regis regum coràm vultum aspicis almum:
Si quid vota, precesq; tua, ceu plurima, possunt,
Ad Iuuarum & celsis vallatam montibus vrbem,
Adq; Salisburgum & sacram tua lumina mytram
Verte, nec antiquæ sis immemor optime sedis.
O vtinam Princeps, senio, morboq; grauatus,
Incolumis Ianus longæuos transigat annos;
Aut si fata negent, & sydera dura reposcant
AEthereiq; virum Diui; Georgius ille
Khuenberga de gente satus, cui Præsulis omnis
Vox hominum mytram tribuit, superiq; dederunt.
Viuat & optatà populos in pace gubernet.
Sint salui ciues, & sacra vindice Musæ:
Hoc vno incolumes: veterum sit salua parentum
Relligio atq; antiqua fides, cultusq; Deorum,
Quæ terris semper fuerint ante omnia curæ.

MVLTA magnaque de eo scribit honorificè Ioannes Cuspinianus in suo Maximiliano, & ea præsertim, quæ ipsemet Historicus & Orator coràm vidit, vnaque peregit.

SVCCESSIT prudenti, & clementi Principi, non minus & ipse prudens, clemensque in Archiepiscopatus administratione Ernestus Dux Bauariæ, & Episcopus Patauiensis, &c. de quo suprà dictum est à nobis.

MICHAEL

MICHAEL A KHIENBVRG ARCHIEPISCOPVS SALISBVRGENSIS.

MICHAEL à Khienburg, ex nobili & equestri Tauriscorum familia natus, inter medios quidem aut penè etiam posteriores, qui nostram Academiam inuiserunt, sed religionis, pietatis, eruditionis, omnisque virtutis ratione meritò primo ponendus loco; scholam Ingolstadianam, studiorum gratia, anno 1531. mense septembri, paulò post, vt opinor, & Pataujensis & Salisburgensis Canonicus factus. Euocatus Pataujo, anno domini 1554. vbi & præbendam habebat, & ponti supra Oenum præfectus erat, resignante Archiepiscopatum Illustrissimo Boiorum Duce Ernesto, eligitur in eius successorem & Archiepiscopum Salisburgensem, confirmatus à summo Pontifice, sequenti anno 1555. vrbem ingressus est (quod vocant **den Einridt**) septimo die Ianuarij Diuo Valentino in quibusdam Episcopatibus sacro, cùm præcedenti die vel trium Regum, vel Dominica (nisi fallor) in Archiepiscopum esset consecratus, magno cum comitatu equestri, rubra indutus tunica, qualis est Legatorum Sedis Apostolicæ, effusis partim in occursum ciuibus armatis, partim ad portas pro custodia positis, multis etiam Archiepiscopum equo insidentem stipantibus, qui holosericis induti erant vestibus.

Salisburgensis et Pataujensis Canonicus.

Fit Archiepiscopus Salisburgēsis anno 1554.

Vrbem ingreditur.

EXCIPIEBAT eum ad portam, Nonnarum vallis, ex libera aduenientem aula (Incolę vrbis appellant **Freyensaal** & non ita procul ab vrbe distat, ibique ingressuri Episcopi & ornantur & comitatum colligunt, & disponunt) Clerus Salisburgensis, Episcopus & Suffraganeus Chiemensis, Præpositus & Decanus templi Cathedralis

cum ſuis Canonicis, Abbas D. Petri, eiusque totus conuentus, cæterique diuerſorum templorum Sacerdotes. Præibat in reditu Clerus & cum hymnis ac cantu deuoto per longas viarum ambages ad ſummum templum deducebat. Congratulationis applauſusque ergô, & vt maior auguſtiorque ingreſſus noui Domini eſſet ſolennitas, reſonabant per omnia templa Campanæ, fulgurabantque in arce Epiſcopali bombardæ: vſque adeò nec clerus, & præſertim Collegium Canonicorum, neq; equeſtris ordo, nec ciuitas ſuo voluit deeſſe officio, q. pariter omnes, quaſi animi ipſorum fœliciſſima queq; & auſpicata ſingulis præſagirent, lætitiæ publicæ, ac priuati gaudij edebant indicia.

Laus Archiepiſcopi Michaelis.

EQVIDEM hoc de illo Principe, ſine omni adulationis aut inuidiæ ſuſpitione, vereque me apud æquos iudices, rerumque & vitæ ipſius peritos, affirmare poſſe confido, quòd heros fuerit omni virtutum genere præſtantiſſimus, ſuiſque penè diuinis dotibus multos Germaniæ Principes, ceu Sol clariſſimus reliquas ſtellas, lõgis interuallis poſt ſe reliquerit, ac proinde tum ſuis ſubditis, tum exteris etiam omnibus, præcipuè verò Principibus viris extiterit gratiſſimus.

Pietas Archiepiſcopi. Liberalitas. Clementia.

Diligẽtia in precibus abſoluendis.

CÆTERVM vt paucas tantùm illius attingam virtutes, incredibilis in eo elucebat Pietas ergà Deum, religionem ac cultum diuinum, liberalitas tum in egenos, tum etiam doctos viros, amor & clementia in ſubditos maxima, humanitas & affabilitas ſingularis. Quod præcipuum ille in humana cenſebat vita, omnes dies à precibus inchoabat, primumque omnium, quas debebat ex præcepto Eccleſiæ, reddebat, ſoluebatque Deo precationes, horasque perorabat vt vocant Canonicas. Qua in re pro maiori deuotione ac ſolennitate ſemper alterius Sacellani vte-

ni vtebatur opera, alternisque versibus, ac responsionibus orare illi placebat. Deinde Sacrificio intererat, post demum negotijs vacabat prophanis, aulicisque, non immemor illius præcepti, primò quærendum regnum Dei & post omnia nobis adiecta iri.

ETSI verò iam tum, cùm omnes penè Germaniæ Prouincias, ciuitatesque, tùm etiam in eius Archiepiscopatum, & præsertim vrbem Metropolim Lutheranismus, sensim, taciteque irrepserat, quæ omnium venenorum est natura, ita tamen quicunque alterius doctrinæ ciues in religione sese gerebant, vt neq; manifestam grauius quicquam contra quemcunque eorum statuendi occasionem præberent, & omnes primo aspectu pro Catholicis facilè haberi possent, cùm ea quæ Catholicorum essent, si non intrinsecùs simul, certè forinsecùs præstarent, adeò vt is morbus non tā ferro aut igne, quę sunt extrema, quā mitioribus, & benignis vt vocāt medicamētis egere videretur.

NEC sanè dubitandum, quin cùm omne initium sit graue, & in periculosis ac dubijs morbis cautè in principijs agendum, lenteque iuxta prouerbium, festinandum, nullam non, siue asperam, siue mitem quamcunq; omnis hæresis extirpandæ viam ac rationem tentâsset, si vlteriorem ei Deus præpotens vitam concessisset. Instituerat enim Princeps ille & pijssimus & prudentissimus multa reipublicæ tam Ecclesiasticæ, quàm Politicæ, præsertim verò religioni & rei literariæ, præstare salutaria, quæ in charta quadam consignata post ipsius mortem reperta dicuntur; quibus procul dubio Relligio Catholica pristinas recuperâsset vires: sed mors improba, quæ æquo pede pulsat pauperum tabernas, regumque turres, vt inquit Lyricus; rebus plerunque inimica magnis, præclarisque, eiusmodi pulcherrimas heroum cogitationes, &

inſtituta ſaluberrima interuertit, aboletque & optima quæque ante diem rapiens deteriora relinquit.

ALEBAT iam tum Princeps, in religionis Catholicæ, & prouinciæ ſuæ incolumitatem, quaſi ſeminarium quoddam, egregia aliquot in diuerſis ſcholis ingenia, quæ Eccleſiæ Dei conſecrâre ſtatuerat. Videbat enim & re-ipſa experiebatur, quanta eiuſmodi virorum eſſet penuria, qui piè ac commodè Eccleſiæ præeſſent, religionem docerent, tutarentur, & propagarent.

Vitæ integritas.

DE VITÆ ipſius innocentia haberem, quæ dicenda forent, plurima, niſi vel aſſentandi quibuſdam ſuſpitionem metuendam mihi intelligerem, vel aliquos fortè offenderem, quod tamen neſcio, qui eiuſmodi vitæ integritatem in ſe minimè agnoſcunt. Illud tamen præterire non poſſum, licet nec ille Princeps ſuis caruerit obtrectatoribus, calumniatoribuſque; illi tamen nec luxuriem, ingluuiemùe aut crapulam, nec incontinentiam, aut prodigalitatem, aur tenacitatem, aut quodcunque grauius vitium potuiſſe obijci, cùm ad Epiſcopi ſtatum iuxta D. Pauli deſcriptionem, ſi non totus, certè quam proximè accederet.

Liberalitas in egenos.

QVOD ad eius liberalitatem in egenos attinet, etſi ea publica omnium, nec tam prouincialium, quàm exterorum voce etiamnum deprædicatur, non tamen conſtat omnis omnibus. Tantum quidem eleemoſinarũ in pauperes quotidiè erogabat publicè, quantum Principum (abſit dicto inuidia) Germaniæ nemo, quemadmodnm ex Auguſtanis ciuibus, qui Comitiorum recordabantur, ipſemet audiui: Quas verò per alienas manus, alieno ſub titulo diſtribuebat, illæ vt vix vni & alteri notæ, ita publicis ſi non ſuperiores, maioreſque, certè æquales maximè

Eleemoſynæ per alienas manus datæ.

Neq; verò alios vel promptiùs vel liberaliùs faciebat ſumptus

ptus, vel meliùs arbitrabatur locatos, quàm quod in egenos miserosq; conferebat, vt ex alieno Mammone, iuxta Christi præceptum, pulcherrimum in cœlis thesaurum sibi faceret.

Liberalitas in honestas literas.

DE liberalitate verò illius in liberalia studia, in studiosos adolescentes, & viros literatos quid dicam? Ego sanè, cum ingenui sit hominis, fateri, per quos profeceris, nunquam diffitebor, quicquid in honestarum literarum cognitione sum assecutus, quod sanè exiguum est, illud me illius summæ debere liberalitati, qui mihi per quadrienniũ penè liberalissimos in Academia Friburgensi sumptus benignè subministrauit, facturus id diutius, nisi eum mors ineuitabilis, non cum mea tantum, sed & multorum aliorum, & quidem ingeniorum præclarissimorum iactura nobis eripuisset. Tanti perinde herois, eiusque in me beneficiorum memoriam, debitamque gratitudinẽ non nisi mors vltima rerum linea in animo meo obliterabit.

Conuersatio cũ doctis viris.

CVM ipsemet Princeps esset doctissimus (nam præclara fert ea familia hominum ingenia) viris quoque doctissimis fauebat, ipsorum accessu, assessu, colloquiis & concertationibus Theologicis vehementer lætabatur, nec quenquam à se indonatum passus est discedere. Et vt inter plurimos tantum aliquot, sed eos perquam illustres obiter attingam, præ cæteris charum habebat reuerendũ Patrem Ioannẽ Gressenicum, Ordinis Dominicani professum, virum pietate, vitæ sanctimonia, eruditioneque vix cuiquam secundum. Notus est ille Gressenicus Colloquio VVormatiensi, in quo adiunctus erat disputator. Salisburgi aliquot años, nec pauciores in aula Bauarica, magna cum auditorum frequentia, applausu, ædificationeque concionatus est, adeò vt vtrique Principi, tam Salisburgensi, quàm Duci Bauariæ Alberto Quinto semper

Ioannes Gressenicus.

eſſet chariſſimus. Audire me ex illo viro memini, cùm ſemel atque iterum Monaci apud eum pòſt diuertiſſem, quòd eo reuerendiſsimus Princeps in comitijs Auguſtanis, à Diuo Ferdinando celebratis, quotiescunque Theologicum inſtituiſſet conuiuium, quod frequenter fiebat, tanquam Protagoniſta, quique alios in paleſtrã & arenam Theologicam pertraheret, ſit vſus. Ibi tum mira cum alacritate animi, attentioneque & patientia ſingulos differentes & inter ſe conferentes audiebat Theologos, ac tandem ipſemet, vtpotè rerum Theologicarum non ignarus, ſententia lata, colloquium diſſoluit.

Fridericus Staphylus.

NEC minori proſequebatur beneuolentia Fridericum Staphylum, cui in ijſdem comitijs doctoralia inſignia tum in Theologia, tum etiam iure Pontificio, nomine & loco ſummi Pontificis, viua voce & præconio contulit. Reuerendum dominum & ampliſsimum virum ac dominum Martinum Eiſengreinium, Doctorem Theologum, primo congreſſu, antea nunquam à ſe viſum ſumma humanitate Saliſburgi excepit, & quinquaginta donatum ducatis à ſe benignè dimiſit. Alios ſciens nunc prætereo, illud certè omnibus conſtat, ſummam illius Principis liberalitatem in doctos viros extitiſſe, quos Eccleſiæ Dei & religioni ſuis laboribus, & lucubrationibus inſeruire intelligebat. Qua verò clementia, animoque paterno ſuos protexerit ſubditos, quamq; benè toti præfuerit Archiepiſcopatui, norunt etiamnum eius Prouinciæ incolæ, & deprædicant.

Martinus Eiſengrein.

Charus erat Imperatori Ferdinando primo.

SVNT qui Principum & ſummorum Monarcharum fauorem & gratiam magnifaciunt. Neque verò ex omnibus penè totius Germaniæ Principibus quiſquam D. Ferdinando primo Imperatori erat charior, acceptiorque, quàm ille fuit. Summa etiam erat inter eum & Ducem

Item Duci Bauariæ.

Bauariæ

Bauariç Albertum Quintum, animorum coniunctio. Habebat enim princeps, & animi & corporis dona pulcherrima, bonaque fortunæ perquam opulenta, quibus ille quorumcunq; Principum amicitiam facilè demereri poterat.

DELECTABATVR quandoque, præsertim in solennioribus conuiuijs Musica, viuebatque tùm foris, tùm domi, siue cum suis ageret aulicis, siue illustres ac Principes viri eum inuisissent, ita liberaliter, itaq; omnia suppetebant illi affatim, vt cornu quoddam copiæ adesse iurasses, & quô plus erogabat, quô plus insumebat, eô plus affluebat.

AVRI & argentifodinæ illi tantum metalli subministrabant, vt complures non metallarios tantùm, sed monetarios alere cogeretur, vereque rete dormientis videretur trahere. Præfuit Episcopatui annis circiter sex, Obiit anno domini. 1560. Sepultus Salisburgi in summo templo in area coram altari D. Rudberti dextram versus, seu meridiem, iuxta Sacellũ, quod ipsemet sibi viuus pro monumento fieri curauit: adeò vt animus eius suam migrationem longè ante prospexisse posset videri.

Felix in aurifodinis.

MORS eius omnibus bonis summè fuit lamentabilis, tùm propter ipsius personam, quam propter diuinas dotes & virtutes incomparabiles nemo non suspiciebat & amabat, tum verò Rempub. Christianam, religionem Catholicam, & in omnes benignitatem. Collegium Canonicorum, sui officij haud immemor, vt cùm animi sui propter ereptum Principem dolorem, tùm vicissim illius in Capitulum, totumque Archiepiscopatum beneficia, publicè testaretur, honorificentissimas exequias animæ defuncti fieri curauit, & aliquot centum floreni sunt in pauperes erogati.

Moritur anno 1560.

Ergo iaces pietatis honos & gloria laudis
Antiquæ Præsul? tua nec pater optime virtus
Nec vitæ integritas, nec amor notissimus æqui,
Nec te protexit tam prompta ad munera dextram?
Nunc aræ, nunc templa Deûm, cultusq; requirunt,
Te flebant Iuuari tristes ad flumina Musæ,
Et tua Boiarides miserando funera planctu
Sæpe sequebantur, rebusq; Ecclesia egenis,
Relligioq; sibi velut orba dolebat ademptum
Esse patrem, gemuitq; suis Germania terris
Te tantùm ostensum. Nunc tu tamen incola cæli
Fortunæ lusus omnes, & quicquid acerbi
Fert mundus homini & duris in rebus egestas,
Despicis æterna iam dudum in pace repostus.
Viue Deo Præsul, nostri non immemor vnquam.

HVIVS tam pij, tam prudentis, tam liberalis, docti, & integerrimi Principis, vitæ innocentia, eruditio, liberalitas, prudentia, pietas, omneque virtutum genus: imò, vt summatim dicam omnia, & corporis & animi viuum verumque exemplar, tanquam in polito aliquo speculo, relucet in Reuerendo & verè nobili, amplissimoque viro ac domino Georgio à Khienburg, nepote Principis eiusdem ex fratre, qui cum ego, (quod cum pace tanti viri dixero) sum in studijs altus, quemque Serenissimus Dux Bauariæ Albertus, piæ memoriæ, nihil penè tale cogitantem, nedum petentem amplissima Collegiatæ Ecclesiæ apud veterem Oetingam Præpositura año 78. donauerat.

Georgius à Khienburg, nepos ex fratre.

NON possum hoc præterire, quod mihi superiori anno quasi ominis aut præsagij cuiusdam instar insciò videtur excidisse. Nam cum hæc ipsa tum de Archiepiscopo Michaële, tum etiam de Reuerendo domino Georgio

commenta-

commentarer, versus ille mihi de Præpositurę Oetingengensis accessione fortè excidit.

Dij maiora dabunt animo dignissima tanto,

ET ecce nondum ad vmbilicum perducti Annales, & adhuc addendi adimendiue erat locus, cùm idem Georgius à Khienburg domino Christophoro à Lamberg Baroni, Præposito & Archidiacono Salisburgensi &c, defuncto, anno 79. subrogatur. Sed nec dum præsagij nostri finis. Nam cum Annales nostri iam in lucem sese asseruissent, non ita mensibus multis pòst, cùm Reuerendissimus Princeps & Archiepiscopus Salisburgensis perpetuò cum aduersa valetudine conflictaretur, quemadmodum etiamnum conflictatur, vnanimi Canonicorum consensu, & totius Archiepiscopatus congratulatione in Coadiutorē & successorem Reuerendissimi Archiepiscopi Salisburgensis hoc ipso anno 1580. eligitur.

Quod fælix faustumq́; suo Dij numine firment,
Imperiumq́; illi tribuant in pace quietum,

AMEN.

NOBILITARVNT nostram Academiam aliquot de Khienburg, anno 1510. Andreas de Khienburg & Ioannes de Khienburg, quem etiamnum Reuerendi Capituli Salisburgensis seniorem in viuis esse arbitror.

GEORGIVS A LIMPVRG

SEMPER LIBER, ETC. EPISCOpus Babenbergensis, tricesimus nonus.

GEORGIVS de Limpurg ſemper Liber, ſacri Imperij Romani Pincerna hæreditarius, Eccleſiarum Argentinenſis, Babenbergenſis & Herbipolenſis Canonicus, &c. acceſſit noſtram Academiam anno domini 1486. menſe Iunio ſub Rectore Illuſtri Domino Ioachimo Comite ab Oeting. Succeſſit in Epiſcopatu Bambergenſi legitimè ac Canonicè electus Georgio Marſchalco ab Ebnet, anno 1505. Præfuit eidem Epiſcopatui annis 17. & Comitijs Auguſtanis à Diuo Maximiliano primo, Imperatore celebratis anno 1581. interfuit. Obijt vltima die Martij, anno 1552. De eo in ſuo de Epiſcopis Babenbergenſibus Catalogo, nihil præterea refert Bruſchius. Hoc vnũ ego addidero, celebrem eam Franconiæ familiam eſſe ex valle Kocheriana in Sueuia oriundam, & complures ex ſe genuiſſe Epiſcopos, ſcilicet Gotofridum Herbipolẽſem, Eraſmum Epiſcopum Argentoratenſem, & Georgiũ Babenberg. & Philippum eiuſdem Eccleſiæ Præpoſitum.

Eligitur in Epiſcopum. Moritur.

VVIGANDVS A REDVVITZ, EPISCOPVS BABENBERGENSIS.

VVIGANDVS à Redvvitz Oſtrofrãcus, multis tum corporis tum animi dotibus illuſtris, dedit apud nos operam circa annum domini 1496. & ſubſequentes. Eius nominis & familiæ Fridericus à Redvvitz Canonicus Babenbergenſis & Herbipolenſis Baccalaureatus gradum recepit in noſtra Schola anno 1542. ad angariam Sancti Michaëlis. Scribitur Epiſcopus à Bruſchio, quod in iuuenilibus ſuis annis religionis ergô, & locorũ ſanctorum viſendorum amore ad terram ſanctam peregrinatus ſit, vnde eiuſmodi elogium à Bruſchio meretur.

Multorum

Multorum mores, multorum vidit & vrbes.

ELIGITVR in Episcopum Babenbergensem anno 1522, in locum Georgij de Limpurg. Incidit in eius Episcopatus administrationem pernitiosissima tumultuantium & rebellantium penè per totam Germaniam rusticorum seditio, qui primi erant Euangelij Quinti & doctrinæ Lutheranæ fructus. Obsessus ipsemet Princeps anno 1522. à rusticorum copijs magna fortitudine animi defenditur, à Sueuici fœderis exercitu, liberaturque. Princeps commendatur fuisse à Bruschio mitis, clemens, benignus, pacis studiosissimus, omnibusq; suis charus. Interfuit ferè omnibus Comitijs Imperialibus, à Carolo Quinto per Germaniam celebratis. Pietatem eius & in religione integritatem illud testatur, quòd anno domini, 1548. reformandi sui cleri gratia, diocesianam seu prouincialem synodum congregauit. Nihil de eo amplius habeo.

Iusta manent pulchras post funera præmia laudes,
Et benè apud Superos rectè stat gratia facti,
Teque, virtutesq, tuas, pie Præsul, Olympi
Aspexit rector, placidaq, in pace locauit.

IOANNES ÆGOLPHVS A KNOERINGEN, EPISCOPVS AVGVSTANVS.

INTER cæteros, qui ex nobilibus orti parentibus alios excelluere, & ad Episcopalem sunt euecti dignitatem, tanquam vita defuncti fœliciter humanis valedixerunt, haud postremum sibi locum vendicat, necexiguo ornamento est laudiq; nostræ Academiæ Ioannes Ægolphus à Knöringen, ex equestri, longeque nobilissima apud Sue-

Familia Knöringiorum. uos familia procreatus, cuius maiores rebus domi forisq; fortiter & præclarè gestis claruerunt, tam ciuilibus, quàm Ecclesiasticis functi sunt dignitatibus, Principibus à consilijs eorundem gessere vices, & nobilissimis coniugijs insignes extitere, propterea quòd etiam Baronum permiscerentur sanguini.

DEDIT operam in nostra Academia literis circiter annum quinquagesimum, feruente adhuc iuuenilis ætatis sanguine. Inde Friburgum, circiter annum 60. profectus, omnibus iuuentutis abiectus ineptijs, cum domino Henrico Lorito Glareano, Ioanne Hartungo, Casparo Stiblino, & Conrado Dinnero, viris tam Græcè, quam Latinè doctissimis, frequenter & quàm familiarissimè viuebat. Ibi tum Bibliothecã à domino Glareano etiamnum in viuis existente, vel solius Glareani nomine nobilissimam, aliquot centum emit florenis, sed ita tamen, vt vsusfructus penes Glareanũ, quoad viueret, posset remanere. Bibliotheca Glareani.

MVLTA præclara gessit, heros omnibus virtutum ornamentis illustris vereque nobilis, longè tamen & præclariora, & maiora ante Episcopalem eius dignitatem, quam cùm ad rerum gubernacula esset euectus, tum quia negotiorum premebatur mole, itaque in Episcopatu suo Rempub. tum Ecclesiasticam, tum politicam repererat constitutam, vt totum requireret hominem, omnesque cogitationes ad vnam penè reformationem, nouamque Reipub. constitutionem forent conuertendæ, siue quòd fortè in absentia sui antecessoris, multi illi videbantur irrepsisse errores, seu quod credibilius est, aliam ipse ac suis cogitationibus rebusque idoneam conceperat reipublicę ideam; tum verò quod valetudini prosperæ perquam exiguum tempus fortuna concesserat, angustisque eius administrationem circumscripserat terminis.

NEC

NEC dubitandum, quin constituta pro suo arbitrio ideaque concepta, reipublicæ maxima quæque præstiturus fuisset, nisi Dij tantum heroem nobis inuidissent, citiusque tum nostra, tum ipsiusmet opinione eripuissent: quanquam nec administratio Episcopatus sua caret laude. Quid enim non præstaret laude dignum, qui in laude perpetua vixerat, neque vel humile abiectumq; vel sordidum illaudatumque præstiterat vnquam? Quanquam virtus ipsius animi rerum mole vel oppressa concidisse nónihil, vel exterrita, elauguuisse multis bonis videbatur.

CÆTERVM quo recentior est herois illius apud omnes bonos memoria, eò & illi mihi æquiores erunt in legendo iudices, & minùs ego in probando testibus egebo. Posteaquam Academijs nuncium remisisset, & quo se à Deo vocatum arbitrabatur, ad Ecclesiasticā totus transijsset Remp. sacrisque iam initiaret ordinibus, ilico etiam ad dignitates Ecclesiasticas promouetur, & primo quidē Scholastici in Ecclesia Herbipolitana, deinde verò in Augustana Custodis officio honoratur, adeò vt cum ætatis augmento, dignitatum accessio, & cum dignitatibus redituum quoque auctiones fierent. Erat autem egregijs tam ingenij quàm corporis dotibus præditus: Statura corporis procera, ac pene heroica, vultu sereno, nitido ac læto, humanitate & affabilitate summa, qua omnes recreabat, omnes in sui amorem & reuerentiam pertrahebat. Perquam eruditus, prudens, & in rebus agēdis industrius. Magnificus, liberalis & excelsi verè animi, adeò vt nihil sordidum, humileúe cogitaret, sed omnia magnifica, excelsa & heroica præstaret affectaretq;. Inde fiebat, vt non plebis tantū sibi conciliaret animos, quæ bonis corporis & fortunę faciliùs, quā animi dotibus mouetur, sed summorū etiam virorū ac Principū in rep. Christiana gratiā fauorēq;

Scholasticus fit Herbipolensis.

 promere-

Consiliarius Alberti Ducis Bauariæ.

promereretur. Præcipuè verò Serenifs. Boiorũ Duci Alberto non tantũ gratus, sed familiaris etiã penè fuit, & ab eodem in consiliariorum suorum numerum adscriptus.

Comes Palatinus Lateranensis Pontificius.

CVM verò exterarum quoque nationum visendarum, præcipuè verò Italiæ inspiciendæ singulari afficeretur desiderio, primò totam penè Italiam vsque in vrbem perlustrauit. Romæ non in Cardinalium tantùm colloquium & amicitiam vltrò admissus (vidi enim, coramque inspexi doctissimas, humanissimasque Cardinalis Hosij aliorumq; ad ipsum ex vrbe datas literas) sed etiam, quod primas fœlicitatis partes obtinet, summus Pontifex suo fauore ipsum dignatus, patrocinioque, & comitis Palatini Lateranensis dignitate benignè exornauit.

PERLVSTRATA Roma, Italiaque, Imperatoris quoque aulam inuisit, in qua nemo ex proceribus aulicis tanti vel nominis vel autoritatis vel generis splendoris erat, qui non de Knöringio præclarè sentiret, eius amicitiam exoptaret, contractamque sanctè coleret; & vt paucis multa compræhendam, cùm sibi existimationem, nominisq; celebritatem pepererat, tot amicos sibi coniunxerat, vt posteris temporibus eius ædes rarò præclaris hospitibus carerent. Imperator itidem, vt summus Pontifex, Comitis Palatini dignitatem, aliasque immunitates eidem contulit, de qua re in nostro Epicædio hi extant versus.

Comes Palatinus cæsareus.

Superaddidit illi,
Ne vacuus torperet honor, pulcherrima iura,
Queis par Principibus, quibus esset regibus ipsis
Romanis par, & partem iam iuris haberet
Pontificum: non hæc equidem reor, vltima laus est,
Principibus placuisse viris, animosq; mereri
Pontificum & magni clementem Cæsaris auram

Quin

QVIN & inferiorem Germaniam, ipſumque Belgium viſendi ſtudio percurrit. Ita diuerſis Germaniæ Italiæq; perluſtratis regionibus, peregrinationibus valedicit, res ſuas melius conſtituit, totumq; ſe ad Eccleſiam Dei iuuandam, religionem conſeruandam, propagandamque, bonaque ſtudia promouenda conuertit, hominumque commodis, quantum pro facultatibus illi liceret, inſeruit.

MVNIFICENTIAM & liberalitatem in eo ſpectare licebat eximiam, peneque viro Principe dignam. Eleemoſynis quotidiè pauperum ſubleuabat egeſtatem, Studioſos adoleſcentes Mœcenatibus facultatibusq; deſtitutos, qui ad ipſius fidem, liberalitatem, & patrocinium confugerant, vel viatico proſequebatur, vel maiori releuabat ſubſidio, neq; quenquam à ſe mœſtum, nedum inanem, modò honeſti ſpeciem præſeferre videretur, abire paſſus eſt. Quod itidem his complexi ſumus verſibus.

Liberalitas domini Knoringij.

Muſarum domus hic, & paupertatis aſylum,
Nemo hominum excluſus, patuit tua Ianua Princeps
Omnibus, & nullus ſine munere triſtis abibat:
Tanta tua in Muſas bonitas, inopemq; popellum.

NEC minor erat in viros doctos, ac præſertim Eccleſiaſticos liberalitas, quos vltrò muneribus ad ſe alliciebat, & ad ſacram quaſi militiam, religioniſque defenſionem incitabat. Quin etiam ſuos in ſtudijs habebat alumnos, quos aliquando Eccleſiæ profuturos ſperabat.

ILLVD verò eximię, ac planè regiæ liberalitatis, magnificum eſt exemplum, quod pietatis ergô, in communem Reipub. literariæ ſalutem, præſertim verò Eccleſiæ, religioniſque Catholicæ incolumitatem, ampliſſimam, inſtructiſsimamque bibliothecam, tum ex libris domini Henrici Loriti Glareani Hiſtorici inſignis comparatam primitùs, tum nouorum deinde voluminum acceſsione

Bibliotheca Ingolſtaduna.

abundè auctam & locupletatam egregiè Ingolstadianæ Academię, cui multis de causis impensè fauebat, viuus donauit, eamque omnibus ad communem Studiosorum vsum patere voluit.

Antiquitates.

ADDIDIT insuper preciosum variorum monumẽtorum & antiquitatum ex diuersis materijs fabrefactarum thesaurum, quem ille minimè exiguis sibi comparauerat sumptibus, numismata antiqua ex auro, argento, & ære aliquot centum florenorum precio æstimata: pretiosa in vsum Sacelli, & cultus diuini ornamenta & clinodia. Deniq; annuos constituit redditus, quibus bibliothecarius ali, & bibliotheca cõseruari, augeri & locupletari posset.

Anniuersarius Knöringi.

VOLVIT prætereain eo sacello anniuersarium post festum Diui Martini, cum vigilijs, officio & Oratione sibi fieri, & Professores Vniuersitatis prandio aliquali refici. Atque ea ipsa donatio (quod certè apud me admiratione minimè caret) aut eo ipso die, quo Reuerendissimus & Illustrissimus Princeps ac Dominus Otho Cardinalis & Episcopus Augustanus &c. Romæ obijt, aut non multò ante facta & ratificata, idq; Augustæ in ædibus eiusdem domini Knöringij, præsentibus reuerendis, nobilibus, & amplissimis viris ac dominis, Martino Eisẽgreinio, Vicecancellario Ingolstadiẽsi & Præposito Patauiẽsi Oetingensiq;: ac Rhodolpho Clẽckh Saxone Doctore Theologo & Professore, qui eò euocati aduenerant, & harum lucubrationum autore. Quæ hactenus à me dicta sunt, ea omnia ante Episcopalem dignitatem euenêre. Nunc ad eius Episcopalem statum transeamus.

Moritur Otho Cardinalis.

ANNO domini 1573. mortuo Cardinali & Episcopo Augustano Othone Truckses à VValpurg, indicitur electioni 18. dies Maij, qui proximus tum erat post festũ Trinitatis, ad quem Canonici adesse iubentur omnes. Mirum est di-

eſt dicere, quantus iam tum & multo antè tempore omnium penè Canonicorum, multorumque & quidem præcipuorum Germaniæ Principum (teſtata viſaque loquor) ad eligendum Knöringium conſenſus fuerit, quaſi ad eius dignitatem ac honorem non defendendum tantùm, ſed etiam amplificandum conſpiraſſent.

ADERAT breue Apoſtolicum, quo Knöringiũ ſummus Pontifex Collegio Canonicorum commendabat, & quaſi dignum Epiſcopatu declarabat. Aderant interceſſiones Imperatoriæ, & aliorum Principum Catholicorum, atque etiam Lutherani cuiuſdam tum literæ commendatitiæ, tum etiam Oratores, propterea quod eum inter omnes vt dignißimum, quàm maximè ad Epiſcopalem dignitatem euectum cuperent.

Eligitur in Epiſcopum Dominus Knoringius.

ITAQVE 18. die Maij conſenſu communi & vnanimi totius Collegij Canonicorum, in magno hominũ concurſu & expectatione, eligitur, Auguſtanus Epiſcopus & ſupra ſummum eius templi altare collocatus, congratulabundè ſalutatur. Hîc noua rurſus bonorũ omnium videre erat gaudia: Spectatorum, reique euentum auidè expectantium applauſus, ſubditorum iubilationes, Clericorum in omnibus penè templis exultationes, gratiarũmq; actiones. Electione per tabellarios, literas & veredarios hâc illâc nunciata, tum priuatæ, tum pub. cæ Principum ilico adſũt gratulationes, & ex ipſa etiã vrbe, & ex ampliſſimo Cardinalium Collegio adſunt literæ. Ita nemo erat, qui non maxima quæque de recens electo Epiſcopo, vt qui antehac magna, præclaraque præſtitiſſet, ſibi polliceretur.

In Epiſcopatu quid fecerit.

CVM primũ Epiſcopatu legitimè potitus ad rerũ gubernacula ſederet ilico prouinciæ ſuæ ſtatũ diligẽter explorat,

rationes inſpicit, accurateque ipſemet ſubducit, omniaq; ſingulatim perluſtrat, vt ſi quę Reſpub. vel temporum difficultate, vel aliena adminiſtratione, vel quocunque caſu accepiſſet vulnera, ea maturo, opportuno ſalubriq; ſanaret remedio, & quæ integra erant, confirmaret, ſtabiliretque.

Diſciplinam Eccleſiaſticam reformat.

DEINDE cum piiſsimus Princeps Eccleſiaſticam diſciplinam nonnihil in Epiſcopatu ſuo labefactatā; conuulſamque animaduerteret, non minus eò, quàm ad rempublicam politicam, omnem conuertendum animum, omnem cogitationem, laborē & curam ei rei impendendam cenſet, vt diſciplinæ vel diſſolutæ, vel vacillanti ſuccurreret, quæque in prauum temporum iniuria detorta erant, tempeſtiuam, idoneamque adhiberet correctionem. Itaque cleri per totam ſuam Diocæſin inſtituit reformationem, abuſus in Eccleſijs tollit, mores deprauatos, quantum poteſt, corrigit, & quo malo piorum hominum animi vehementer etiamnum offenduntur, concubinas Sacerdotales, ne cui in poſterum malo eſſent exemplo, proſcribit, & extra ſuæ prouinciæ terminos abire iubet.

IN VTRAQVE igitur repub. tam Eccleſiaſtica, quā ciuili repurganda, inſtituenda, ornanda & regenda, tanquam in vigilia quadam Senatoria prudentiſsimus Princeps ſemetipſum conſtituebat, neque vsquam, quàm diu per valetudinem ei licuit, diſceſſit: imò ne lecto quidem affixus à Repub. ſua oculos deiecit, vt illa quaſi Colonia quædam perpetuis præſidijs, cuſtodijs, vigiliſque munita eſſet.

De Vſuris.

IN EADEM Epiſcopatus ſui adminiſtratione, multum diuque de vſuris tollendis, abolendiſq; penitus, elaborauit, quemadmodum libellus de ea re typis euulgatus

teſtatur,

testatur. Quam rem etiam alij post eum, sed nullo omnino successu, tentasse dicuntur. Sed libet hoc loci ijsdem exclamare ex nostro Epicedio verbis.

Heu nihil inuitis homines fas fidere Diuis,
Qui fuerat longo Præsul dignißimus æuo,
Vix ille ostensus terris in limine regni
Deficit & primis heros cadit inclytus annis.

ETENIM primo statim anno sui regiminis incipit cum aduersa valetudine conflictari. Varij erant de ea re hominum sermones, & opiniones. Alij causam morbi in malitiam improbarum mulierum reijciebaut, alij naturæ asscribebant iracundiæ: alij alias commiscebantur rationes. Quicquid est, illud verisimũ esse constat, quod ibidem cecini.

Conflictatur cũ aduersa valetudine.

Stat sua cuiq; dies, & ineuitabile fatum,
Et metam cuncti tacitè properamus ad vnam:
Fundimus in cassum lachrymas, luctusq; ciemus,
Nec datur, vndisonum postquam decurrimus æquor,
Defuncti fatis in corpora cassa reuerti,
Qua ruet, ante diem, tremebundi machina cœli.

PRÆFVIT Episcopatui prudenter, salubriter, & fructuosè per biennium tantùm. Obijt mense Iunio, anno domini 1575. cum summo omnium bonorum luctu. Ei nos in prædicto Epicedio eiusmodi à fine posuimus Epithaphium.

Moritur Episcopus.

Hic iacet exili Princeps Knöringius in vrna
Et virtute potens & relligionis asylum,
Principibus gratus, proauis atauisq; superbus,
Omnia cui tribuit largè fortuna Deusq;,
Quicquid in humanam fas est contingere sortem.
Vermibus esca datum corpus, mens lucida supra
Sydera conspectu fruitur propiore Deorum.

SVCCESSIT ei in Epiſcopatu, reuerendus, nobilis & ampliſsimus vir ac dominus, Marquardus à Berg Præpoſitus Babenbergenſis, & Auguſtanus, quē Deus opt. max. diu incolumem ſeruet.

MARTINVS HERCVLES ROETINGER, EPISCOPVS LAVANTINVS.

Paulus Rötinger Medicus Salisburgenſis parens Epiſcopi.

LVBET, pro inſtituti noſtri ratione, defunctis adhuc vnum addere, Martinum ſcilicet Herculem Röttingerum, Epiſcopum Lauantinum. Parens eius Paulus Rötinger, apud Salisburgenſes inter ſui temporis medicos non incelebris, vir antiqua fide, grauis, ac ſenio, canisque, cum mihi notus eſſet, venerandus. Magni eum apud Salisburgenſes nominis & exiſtimationis eſſe, & pro non infœlici Medico haberi memini. Filius eruditione (quanquam in diuerſa ſcientia, ſtudioque iuris) minimè inferior parente; dignitate verò ac autoritate ſuperior. Acceſſit Academiam noſtram, anno 1537, artium Baccalaureus ibidem anno 38. ſub decanatu M. Leonhardi Gebhart 17. Decembris, factus. Magiſterij verò inſignia in eadem noſtra Schola eſt conſecutus anno, 1542. Calen: 17. Februarij ſub Decanatu M. Eraſmi VVolfij, promotus vnà cum viro doctiſſimo, & ſingulari noſtro amico & patrono D. Magiſtro VVolffgango Zettelio, piæ memorię, nuper Academię noſtrę Camerario laudatiſſimo. Vſus eſt eius opera & quidem in rebus grauiſſimis Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps Erneſtus Dux Bauariæ & Archiepiſcopatus Salisburgenſis adminiſtrator, cuius nomine

Martinus Hercules fit Baccalaureus & Magiſter.

mine

mine Comitijs Imperij, quotiescunque opus erat, interfuit, præseditque.

Nec verò Iuuari tam Phœbus iungit ab vrbe
Versus equos, nec sublimes agrestia tantùm
Pectora progenerant alpes: nec nubibus æther
Semper in obscuris horret: sunt fortia & illis
Corda viris: sunt ingenia, & quas Spiritus intus
Extimulat, mentes, & quæq; inuadere magna
Ille iubet, requie nunquam contentus amica.

ATQVE hæc quidem de Episcopis iam vita defunctis adferre placuit, allaturus plures, tū Episcoporum, tum verò Suffraganeos, nisi in alium differre locum statuissem: nunc viuorum etiam quorundam meminisse me oportet. Quæ res eò mihi est difficilior, quò periculosiùs de viuis scribimus.

MARQVARDVS A BERG, EPISCOPVS AVGVSTANVS.

MARQVARDVS vom Berg, nobilis, Sueuus, ex Præposito Augustanæ, & Babenbergensis Ecclesiæ Cathedralis eligitur in Episcopum Augustanum, succeditq; defuncto Ioanni Ægolpho, à Knöringen, anno domini 1578. heros multis & animi & fortunæ dotibus, bonisque præclarus. Vt operam daret literis, venit Ingolstadium anno domini, 1541. mense Decembri, circa Angariam Reminiscere anno 44. (quod & nostræ Facultati honorificum, & tum temporis nobilibus frequens) Baccalaureatus in liberalibus artibus in nostra Schola recepit, examinatoribus Erasmo VVolffio Landspergensi, Christophoro

ſtophoro Khapfero, VVolffgango Gotthardo, & Sebaſtiano Solido. Magiſterij verò titulo inſignitus anno 45. die 19. Ianuarij, ſub Decanatu Oſvvaldi Arnſpergeri SS. Theologię Doctoris & Promotoris, M. VVolfgango Gotthardo. Hic Præſul multarum linguarum cognitione inſignis, præſertim verò honeſtis literis excultus, & Iuris ſtudio pręclarus. Præeſt etiamnum ſuo Epiſcopatui laudabiliter & fructuoſè in magna tranquillitate, ſine ſumptuoſa aulicorum turba & ſtrepitu.

AD REVERENDISSIMVM ET ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM AC DOMINVM, DOMINVM MARQVARdum Epiſcopum Auguſtanum, &c. αὐτοσχεδίασμα τοῦ Rotmari.

Qvem ſuper antiquas montis cognomine ſtirpes
Extulit, heu bello & ſtudijs celeberrima pacis
Gens, & in auguſto pulcherrima, Præſul, honore
Conſtituit virtus, precor hûc tua lumina verte,
Et mecum exiguos rebus decurre labores
Sepoſitis paulum & noſtris aſſueſce camænis.
Credimus æthereo nondum mortalia Diuos,
Excuſsiſſe animo penitus: Deus æthere ab alto
Cùm petitur votis, miſereſcit egenos,
Auxilioq́ virum propiùs res aſpicit orbas.
Namq́ hominum vicibus ſemper iactatur acerbis,
Nec certa in ſtatione manet ſors, vertere vultum
Edocta & rapidas nimiùm variare quadrigas.
Quin neq́ cæruleo ridet crinitus Olympo

Perpetuò

Perpetuò Phœbus; vastus neq; nubibus æther
Horridus infestam minitatur ab arce ruinam
Aëria: iamq; euersis furit æstus arenis,
Effusisq; ruit tempestas imbribus atra:
Iam sed amica quies ventis, Solemq; reducit,
Qui nutu nubesq; fugat, cœlumq; serenat.
Te quoq; sublato, Præsul, cum Præsule templa
Augustana gemunt, pulloq; indutus amictu
Suspirat Clerus, luctuq; insumitur alto,
Te post horrentes veluti caligine noctes,
Effusumq; omnis de sedibus ætheris imbrem,
Qui regit astra, Deus, Patri succedere Patrem,
Et regere imperium, sacrosq; capessere fasces
Augustanæ vrbis voluit: lux alma refulsit
Iamq; iterum Clero, longoq; Ecclesia luctu
Anxia se soluit, mæstumq; abiecit amictum.
Fœlix illa dies, & faustis se extulit astris,
Quæ tantam potuit cladem, tantosq; dolores
Emollire virûm, fatisq; rependere fata.
Nam veluti qui turbatis iactatur in vndis
Obscura sub nocte poli, cùm tangere portum
Iam datur, & licitum tutis est fidere arenis,
Seruati ex vndis, oblitiq; antè malorum
Iubila læta mouent, nauis quos vexerat vna:
Sic noua te electo, Princeps, iam Præsule totus
Gaudia Clerus agit, popolusq; patresq; dolorem
Excutiunt omnem, & te nil iam triste recepto.
Ergo agè, sublimem quoniam est Ecclesia montem
Aedificata super (tibi MONS cognomina fecit)
Te super inniti tota cum mole Sionem
Vindelicam, Patrumq; fidem, cultumq; Deorum,
Antiquæ & pietatis opes, mitissime Præsul,

Insignis ad nomen allusio.

Crede, nec in rebus mœrentem desere egenis,
Quod facis, ô Princeps, & erit tibi maxima cœlo
Pro meritis quondam merces: præconia laudis
Iam tua si merita verbis contexere vellem,
Sint linguæ vati centum, sint oraq; centum.
Nam neq; maiorum, Princeps, indignus auorum,
Nec virtutis egens, neq; laudis es indigus vnquam.
Ingenium & pietas, & amor notissimus æqui
Augustos semper meritis largitus honores,
Præmia digna, tuis: eadem Mitramq; Pedumq;,
Non sine mente Deûm, nuper dedit aurea virtus.
Viue, Vale, Princeps: tanto es quia nomine dignus,
Iure tuo: tibi longæuos dent Nestoris annos.
Cunctaq; per vitam faxint fœlicia Diui

VRBANVS A TRENBACH, EPISCOPVS PATAVIENSIS, ET CANONICVS SALISBVRGENSIS.

VRBANVS à Trenbach, Boius, Canonicus Patauiensis, accessit Scholam Ingolstadianam studiorum gratia, anno domini 1542. mense Iunio: Eligitur ex Canonico Salisburgensi & Præposito Patauiensi in Episcopum Patauiensem, Heros verè magnificus, & præter multarum rerum experientiam, peregrinationem, & admirabilem in rebus agendis prudentiam dexteritatemq; apprimè doctus, & plurium liguarum peritus. Præter cæteras literas ac scientias præcipuè delectatur Mathesios studio, & historiarum lectione, in qua excellit egregiè, adeoque pollet memoria, vt quicquid antiquitatis commemorare

Eligitur in Episcopum.

Laus huius Principis.

Studia huius Episcopi.

Ingenium & memoria optima.

morare voluerit, illud ex ea tanquam thesauro & custode rerum vel potiùs penu non minùs fideliter promere, quàm ornatè in medium adferre posſit. Nec eſt illo, ipſo ferè tum literatorum omnium, tum verò eorum, qui Matheſios ſtudio & Hiſtoriarum cognitione alijs ſunt eminẽtiores, liberalior Mecœnas & munificẽtior Patronus. In ſua Epiſcopali ſede Præſul doctiſs. Bibliothecā inſtituit ampliſsimam, & in ea ędificauit ſibi Oenum versùs elegantem turrim, ex qua in omnes partes circumquaq; liberrimus, tanquam ex ſpecula quadam, proſpectus patet, cœleſtiumq; ſiderum motus obſeruari poteſt. Ipſam verò aulam penè ex fundamentis magnificè ac liberaliter extruxit: Summi præterea templi teſtudinem, ac nouum idque pulcherrimum in eo Sacellum versùs latiſſimam Canonicorum Aream, in quo ſibi mortis memor Epitaphium præparat, piè fieri, adeoq; ipſum totum templum inſigniter ornari & propemodum inſtaurari curauit. Nihilominus tamen Epiſcopatum nouis arcibus emendis, veteribus renouandis, alijsq; pluribus cẽſibus quotidie diligens paterfamiliâs auget. Hoc etiam certè pręterire non poſſum, quòd Princeps ille benigniſſimus, ante annos decem, complures adoleſcentes nobiles in honeſtis ſtudijs domi foriſque aluerit, adiunctis aliquandiu duobus Præceptoribus, Ioanne Engerdo, nunc temporis Profeſſore Poëſios apud Ingolſtadienſes; & Ioanne Ratzero LL. Doctore atq; Reuerendiſſimi Principis Eluuacenſis conſiliario. Ex illa nobili Schola præter alios prodierunt duo excellentiſſimi ac plurium linguarum, Latinæ videlicet, Italicæ, Gallicæ, Bohemicæ & Teutonicæ peritiſſimi viri: Quorum alter Chriſtophorus Pöttinger de Perſing aliquot etiam annis Romæ in Collegio Germanico bonis ſacriſq; literis aſſiduam nauauit operam, iam verò Cathe-

Liberalitas mirifica in viros doctos.

Magnificentia in extruendis ædificijs.

Benignitas in alenda Schola nobili.

dralis Ecclesiæ Patauiensis dignissimum Præpositum & Canonicũ agit, vir & pietate & virtute & doctrina longè clarissimus: Alter Erasmus Gold in Lampoding, Reuerendissimi illius Episcopi Patau. ex sorore nepos, cõsiliarius est aulicus, & præfectus in Griesbach & Haffnerzell. &c. vir non minùs eruditione ac prudentia, quàm vitę moderatione alijsq; virtutibus perquàm insignis. Dum hæc scribimus, fama refert, eundem Episcopum Patauiensem nuper in Coadiutorem Salisburgensem postulatum, modestè tamen eam dignitatem recusâsse; fortè quia tenuiori (quanquam & Patauiensis Episcopatus satis est opimus) sorte contentus, in quiete & Repub. iam ad ipsius constituta arbitrium mallet viuere, quàm acceptare splẽdidiorem, & in nouum sese maiorum curarum & laborum pelagus, statu rerum non vsq; adeò tranquillo immergere: tum etiam quòd iam senio grauaretur: Princeps est profectò maxima quaq; & splendidissima sorte, & æuo longissimo dignus: De cuius sanè præclaris virtutibus plura essent hoc in loco dicenda, nisi tum angustia temporis prohiberet; tum ille, qui opus hoc à Rotmaro, piæ memoriæ, non ita pridem inceptum, post immaturum eius obitũ fideliter absoluit, & ea, & pleraque alia, quæ de hac antiquissima familia, ex qua plurimi nobilissimi heroës, equites aurati, & Ecclesiasticis dignitatibus ornatissimi Antistites sunt profecti, dignis monumentis posteritati consecranda in meliorem esset opportunitatem dilaturus: Interim tamen idem Engerdus ingenuè grateq; fatetur, quòd relictis hæreticorum Scholis ad tutissimum Ecclesiæ Catholicæ gremium ante quindecim annos se contulerit, hoc syncerae Catholici huius Principis institutioni meritò se debere, & à Reuerendissima eius Celsitudine etiamnunc pluribus ornari beneficijs, & clemẽtissimis literis sæpius appellari. Sequitur iam,

Postulatus dicitur in Coadiutorem Salisburgensem.

Summus huius antiquissi. familiæ est splendor.

AD REVERENDISSIMVM ET ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM AC DOMINVM, D. VRBANVM, ANTISTITEM Patauiensem, &c. literarum decus & ornamentum, ἀνάθημα Valentini Rotmari.

SI vacat, ô Princeps, Boias dignare Camœnas
Audire, & tenues tantùm ne despice versus.
Non ego per multos te ducam ambagibus orbes,
Nec Labyrintheum faciet mea Musa laborem.
Est locus, in Sueuis ortus de fonte perenni
Danubius terris, Oenusq; per ardua saxa
Præcipites voluens festinus ab Alpibus vndas,
Inter vbi sese coëunt, & flumina miscent;
Nec procul inde niger fluctus coniungit Ilissus
Danubio gemmisq; potens, opibusq; superbus:
Hic Patauina pias Superis dant mœnia sedes,
Et sancto ante alios solennia condidit ætas
Templa prior, pietatis amans cultusq; Deorum
Antiqui Stephano: quondam fuit inclyta sedes
Præsulibus primis, Inuarum quos postea ad amnem
Aetas traduxit, Patauinaq; dulce subiuit
Seruitium tellus: verùm sua gloria nec dum
Debita Præsulibus Patauina cessit in æde.
Tuq; adeò Princeps decus hoc, Vrbane, tueris,
Haud vlli veterum pulchra virtute secundus,
Et pietate ingens, & quæ super aurea tollit
Sydera, & æterna fessos in pace reponit,
Relligionis Atlas, fideiq; patronus auitæ.

Breuis descriptio Vrbis Pataui) ad Danubij, Oeni & Ilissi confluentes.

Fuit olim Archiepiscopalis ibidem sedes.

Laus huius Reuerendissimi Præsulis.

Ingeniúmne priùs mirer, Phœbiq́; labores
Exhaustos per castra tibi? an monumenta parentum
Nocturna versata manu & versata diurna?
Scilicet hæc repetunt longo secli acta prioris
Ordine, nec tantùm perplexa negotia mundi:

A religione.

Relligionis opus totum resecatur ad vnguem;
Et series Patrum, & successio longa priorum
Panditur historijs, multisq́; Ecclesia sæpe,
Sed frustra ô Superi, & diris agitata procellis:
Quin etiam hæreticæ discordia prælia turbæ

A studijs historiarum & Matheseos.

Sese inter, proprijs euersaq́; dogmata telis
Historiæ numerant: nec enim durabile quicquam,
Quod portus pietatis ouans Ecclesia damnat.
An mirer potiùs (recreatio Principe digna)
Aurea totius tibi sydera cognita cœli?
Tu quoties terras humentibus occupat vmbris,
Immittitq́; hominum dulcem per membra soporem
Nox operum finis, dulcisq́; medela laboris
Humani, tacito labentia sydera cœlo
Cuncta notas, oculis circùm comprendere quotquot
Est licitum, Arctoo motusq́; tuere sub axe,
Stans celsa in turri; quid enim? tam nobile quisquam
Non miretur opus? varijsq́; notabile donis?
Aspice succinctus (nam te nil diu Mathesis
Euterpeq́; nihil celat, sed scandere in astra
Te sinit Vranie Princeps) flagrante Cometes
Ecquid fert gladio rursum noua funera regum?
(Dij terris prohibete minas, & tristia fata)
An fera bella famémue serit? Proh numinis ille
Nuntius irati est, fatali luce coruscans.
Quicquid id est, Princeps, humeris abscindere vestes,
Et iubet humanas inuiso à crimine mentes

Purgare, atq; humiles ad sydera tendere palmas,
Auxilioq; vocare Deos: in vota vocatus
Nunc miserari etiam nouit Deus æthere ab alto.
Sed satis hæc, Princeps, quondam meliora canemus,
Si qua feret fortuna locum, nunc viue valeq;,
Pontificum decus, & fœlicibus vtere fatis.

GEBHARDVS TRVCKHSESS A VVALDPVRG ARCHIEPISCOPVS COLONIENSIS ET SEPTEMVIR.

VNo eodemq; tempore, sc. anno 1557. accesserunt ad Academiam nostram Illustres & Generosi domini, Fridericus, Gebhardus, & Carolus à VValdpurg, &c. fratres germani, ex ingenua & peruetusta S. Romani Imperij Dapiferorum, & Sueuiæ Ducatus pincernarum hæreditariorum paterna familia, materna verò ex comitum Sonnenbergensium stirpe oriundi; Reuerendiss. & Illustriss. Principis, Domini Othonis Cardinalis & Episcopi Augustani, summi nuper Musarum & literatorum patroni, Germaniæ in Vrbe Protectoris, & singularis ætate nostra Ecclesiæ Catholicæ ornamenti, &c. ex fratre, vt arbitror, nepotes. Ex ijs Gebhardus anno 78. pridie D. Nicolai, cùm diœcesis iam penè tribus mensibus sine legitimo stetisset domino, in Archiepiscopũ Coloniensem & S. R. Imperij Septemuirũ eligitur; Princeps & corporis & ingenij verè heroici, maioribus suis, qui & foris militari sciẽtia & virtute, & domi dexteritate ingenij, fortitudineque domestica ac prudentia, præclaras res gessere, minimè indignus. Facit eius honorificam mentionem in Episco-

Eligitur Archiepiscopus Coloniensis.

pis

pis Colonienſibus, tum etiam in ipſa dedicatoria Epiſtola F. Petrus Batrachelius Minorita, & à nobilitate pariter ac ciuitatibus ſumma cum gratulatione inauguratum dicit: Commendari eundem ſcribit Principem, tum à literarum multijuga eruditione, tum linguarum peritia, ab animi modeſtia & ſingulari pietate, omnesq; pios bene ſibi polliceri, quòd in eo Epiſcopatu, præter omnem ſpem admodum extenuato, pro ſua ſingulari prudentia ac pietate præſtiturus ſit, quod alij neglexerunt. Hæc cum multis alijs, quæ lubens prætereo, ſcribit Minorita, quibus carmen addidit Panegyricum.

Virtutes huius Archiepiſcopi.

AD EVNDEM REVERENDISSIMVM ET ILLVSTRISSIMVM S. ROMANI IMPERII PRINCIPEM ET SEPTEMuirum Gebhardum, Archiepiſcopum Colonienſem, &c. Carmen Valentini Rotmari.

MAGNVM aliquid, Princeps, generoſa è ſtirpe creatũ
Eſſe reor: ſi placatæ tua pectora Muſæ
Attingunt, ſi relligio, cultusq; Deorum
Atq; antiqua fides, magno quis maior Othone?
Sin verò rigidi ſtudia inclementia Martis
Ille ſuam Carolo Quinto pro Cæſare vitam
Qui poſuit, quiq; infeſtis inglorius armis
Occidere haud poterat, cadit (heu miſerabile dictu)
Peſtifero morbo, corpusq; Sauona recepit.
Ille etiam, qui ſub Lybico trans æquora Sole
Occidit euerſa capti ſub mole Tuneti,

Laus huius familiæ à virtute bellica.

Et qui, Pestha, tuos effuso sanguine campos
Imbuit Vngarico miles animosus in orbe,
Nunc quoq; habet duri post tristia funera Martis
Pramia, virtutis nomen, famamq; perennem.
Te quoq;, quem sacros inter Germania Mystas
Pontificesq; adscripsit ouans, de sedibus vnam
Rhenus vbi septem pleno pater alluit amne,
Et muros Agrippa tuos Vbiosq; colonos,
Excitat, haud vnquam propriæ virtutis egentem
Gentis honos patriæ deductus origine longa.
Est locus in Sueuis, Istriq; à fonte superbi
Haud procul, & Pago fecit cognomina Forceps:
Hic gens VValpurga sibi fixit origine sedes
Libera (VValpurgi quamuis Algöia molem
Arcis habet tellus) terris opibusq; superba:
Quin etiam Solis Comites de monte vocatos
Hic habitasse ferunt quondam, gens inclyta postquàm
Illa suos primos mutata sede penates,
Deseruitq; aliò pinguem transcripta Tyrolim.
Sat bellis, Princeps, Martiq; dedêre priores,
Proq; fide Christi, Christiq; fidelibus armis,
Pro domibus, patrijsq; focis, & Cæsare multi
Occubuêre duces, VValpurga è gente creati,
Et postquàm proprio tinxissent sanguine terram
Fortiter hostilem, sunt hinc super æthera vecti.
Quin neq; virtutem serò ventura paternam
Augustosq; animos, & fortia pectora bello,
VValpurga de gente virûm desideret ætas;
Bellica pinus erit, bellatoresq; Leones
Atq; iterum in Turcas fortis mittetur Achilles.
Templa tibi, Princeps, arasq; focosq; Deorum,
Relligionis opus, cultusq; supremus auitos

Descriptio patriæ.

Commisit Deus, & studium haud ignobile pacis:
Fortia nec (series etenim longissima rerum
Illa est per multos VValdpurgæ ab origine gentis
Iam deducta viros, Proauos Atauosq; potentes)
Facta Patrum quærenda tibi: pro millibus vnus
Sat mihi magnus Otho: rubro Pater ille galero
Insignis, virtute potens, pietate secundus
Haud vlli veterum; fideiq; patronus auitæ.
Heu mihi, Relligio quantum, cultusq; deorum
Præsidium nuper, quantumq; Ecclesia rapto
Augustana illo doluisti Præsule tristis
Amissum: nec erat, qui solaretur amantem.
Hic te in virtutem, Princeps, animosq; viriles
Exciuit semper, nec te torpescere somno
Ignauum passus, quòd si vidisset honores
Ille tuos, cur non tibi se submitteret idem?
Hoc vnum, Princeps: tibi Dij data sceptra secundent
Cælitus, atq; Vbios cum relligione penates,
Teq; ipsum sera incolumem sub secula seruent.

Otho Cardinalis & Episcopus Augustanus.

MARTINVS AB EYB EPISCOPVS BABENPERGENSIS.

DVM hæc ipsa commentamur, ecce defuncto Reuerendissimo Illustrissimoq; Principi ac Domino Ioannni Georgio Zobel Episcopo Bambergensi, subrogatur 11. Octobris Anno 1580. legitima electione & cõmunibus Canonicorum suffragijs, Martinus ab Eyb Canonicus Bambergensis, Herbipolensis & Eystettensis Ecclesiarũ. Dedit hîc operam literis circa annum Domini 1553. inscriptus

Eligitur Episcopus Bamberg.

ptus mense Martio sub Magnifico Rectore Ioanne Spretero Rotuuilano, noui Collegij Regente. Heros multis virtutibus singulariter praeditus, Catholicae Religionis & Iustitię defensor acerrimus, & iam tum subditorum, quos onerari perquàm graue ducebat, antequàm ad Episcopalem eueheretur dignitatem, amantissimus, praeclaris maiorum suorum vestigijs laudabiliter insistit. Multi enim ex hac nobilissima stirpe gloria & praedicatione dignissimi Herões, Equites Aurati, Iuris vtriusq; Doctores, viriq; tam secularibus quàm Ecclesiasticis dignitatibus excellentes orti fuerunt. Habuit certè Reuerendissimi Antistitis Martini huius paternus auus Georgius Ludouicus fratrem amplissimum Gabrielem ab Eyb Episcopum Eystettensem, secundum Academiae Ingolstadiensis Cancellarium; Principem summis virtutibus, summaque eruditione ornatissimum; de quo suprà fol. 28. breuiter aliquid dictum est. Ego verò, tum quia mirifica illius laus bene meretur, tum quia Martinus virtutes eiusdem nauiter ęmulatur, aliquid etiamnum hic addendum penitùs existimo.

Virtutes huius Principis.

Gabriel ab Eyb Episcopus Eystettensis, I.V. Doctor.

ELECTVS igitur & confirmatus est Gabriel ille ab Eyb Episcopus Eichstadianus, iam tum ad annos 50. natus, ac Spartam sibi commissam 40. ferè annis ita ornauit, vt Ecclesiam regeret fideliter, in Rempub. omni cogitatione curaq; incumberet, & Episcopatum varijs aedificijs, censibus, fructibus, clenodijs, alijsq; fortunis & ornamentis augeret cumulatè, tanquam Pater patriae sempiterna memoria dignissimus.

Hoc insuper de tanto Episcopo maximè est memorabile, quòd admodum senex annū agens nonagesimū, cùm feria quinta, nimirum pridie Cal. Dec. Anno 1535. deuota confessione, salutari Eucharistia, & extrema sacri Olei

Historia memorabilis.

vnctione, Sacramentis augustissimis, tanquam firmis viæ ad futurũ mortis certamen præsidijs animosè se muniret; cereum illum, qui à nobili quodam puero in honorem venerabilis Sacramenti ex Sacello Arcis in Principis cõclaue præferebatur, coram Sacra Eucharistiæ theca collocari iusserit, & extremum vitæ huius diem sibi adesse præsagiens, astantibus significârit, tum se, tum cereum illum postridiè feria sexta, eaq; hora, qua pulsus campanarum in summo templo ad memoriam sanctissimę Domini nostri Iesu Christi mortis auditus fuerit, Dei Opt. Max. voluntate simul extinctum iri. Hæc autem præsagitio sine dubio diuinitus inspirata certissimum sortita est euentum: Quemadmodum enim Pater optimus prædixerat; ita postero die Calendis Dec. audito illo campanarum pulsu, interrogans, de extinctione cerei iam iam futura, certior factus, animamq; suam pretiosissimę nostri Redemptoris morti ardentibus & gemitibus & votis cõmendans, piè & tranquillè ex hac vita ad cœlestem patriam demigrauit.

NEQVE verò mihi in dubium venit, quin Præsul ille, dum adhuc vita & communi spiritu frueretur, sæpe ac diligenter perlegerit, eoque penitiùs considerârit doctissimum tractatum de Præparatione ad mortem, quem antea in lucem ediderat cognatus eius, D. Albertus ab Eyb, V. I. Doctor, summi Pontificis Romani Camerarius, Bambergensis & Eystettensis Eccles. Canonicus & Archidiaconus Herbipolensis, Vir omni doctrina & virtute ornatissimus, multisque præclaris librorum Latinorum monumentis à se posteritati consecratis passim apud doctos celebris; singulare profectò familiæ Eybensis decus & ornamentum Patriæ.

Albertus ab Eyb, I.D. Doctor.

QVOCIRCA & antequàm 9. Calend. Sextil. planè grãdis animam efflaret, Eystadij in summi templi ambitu sepeliri

peliri voluit; vbi aliorum etiam sanguine illi coniunctorum Sepulchra & Epitaphia videntur, nimirum D. VVilhelmi ab Eyb Canonici VVirtzburgensis & Eystettensis, qui anno 1450. in die SS. Tiburtij & Valeriani; Item D. Ioannis ab Eyb LL. Doctoris, Bambergensis, VVirtzburgensis & Eystettensis Canonici, & Præpositi Spalatinæ Ecclesiæ ad S. Nicolaum, qui 10. Calend. Septemb. Anno 1466. Et D. Sigismundi ab Eyb Canonici atq; Cantoris Eystettensis, qui 3. Non. Maij Anno, 1483. lucis hanc vsuram reddiderunt.

Ioannes ab Eyb. LL. Doctor.

QVÒD autem veræ gloriæ ac nominis hæreditas ad Albertum illum peruenerit, ex eo dilucidè patet: Habuit enim ille parentem, D. Albertum ab Eyb I. V. Doctorem, Equitem auratum, Cæsareæ Maiestati à secretioribus consilijs, Virum, qui plurimùm apud Imperatorem totumq; Romanúm Imperium autoritate valuit, adeoque Christianæ Reipub. caussa longinqua & periculosa itinera terra mariq; confecit.

Albertus ab Eyb I.V. Doctor.

INSVPER etiam frater illius Ludouicus ab Eyb in Summerstorff, senior, tanto sacrarum Peregrinationum amore & desiderio exæstuauit, (quanto olim ferè omnes ex hoc nobilissimo genere orti) vt Hierosolymæ Christi sepulchrum, terram Palæsthinam, S. Iacobi Templum miraculis clarissimum in Hispania, Romam, Italiam, & multa alia sancta longissimeque remota loca pius inuiserit.

QVARE & Romanorum Imperator in duos illos fratres mirifica suæ benignitatis inclinatione singulariter propendens, Insignia prisca, vnde etiamnunc stirps hæc nomen retinet, & quæ in vetustis illorum sepulchris, tum apud Cœnobium Heilbrunnense, tũ Onolspaci in equitum Auratorum S. Gumperti Collegij Sacello conspecta

 fuerunt,

fuerunt, in ſempiternam huius familiæ laudem ac memoriam Conchis S. Iacobi clementer exornauit.

VERVM enimuerò hæc innata virtus & vera gloria radices agit atq; etiam propagatur: Ludouicus enim ille ſenior Præfectus Aulæ Eyſtettenſis, & poſtea arcis Arbergenſis, Architecturæ peritiſſimus genuit tres filios Auo, Patre, maioribusque ſuis digniſſimos, quorum duo Anſhelmus & Caſparus I. V. Doctores doctrina & virtute ſingulariter excelluerunt; Tertius verò Ludouicus iunior, huius Præſulis Babepergenſis (in cuius honorem aliquanto copioſiùs hæc ſcribimus) Proauus. Hîc iterum virtus proauita altiſſimis deſigitur radicibus, quæ nulla vnquã vi labefactari poteſt; Nam & ex Ludouico illo iuniore ab Eyb in Summerſtorff procreati ſunt tres filij, Reuerendiſſimus ille D. Gabriel Epiſcopus Eyſtettenſis, de quo antea, & D. Caſparus vterq; I. V. Doctor, ac Georgius Ludouicus Martini Auus, qui filium eadem virtute ac nomine præditum generauit, Georgium Ludouicum ab Eyb in Eybburg, Præfectum VVernfelſium, Martini noſtri, Principis ampliſſimi, & nobilitate, pietate doctrinaque præſtantis viri Friderici, qui Bambergæ Cæſarei ac prouincialis iudicij aſſeſſor eſt, & plurium liberorum parentem.

Anshelmus & Caſparus ab Eyb I. V. Doctores.

Caſparus ab Eyb I. V. Doctor.

QVIS, per Deum immortalem, non maximoperè admiretur, quòd vix intra centum annorum ſpatium (vt taceam ſuperiora ſecula) tot excellentes viri & ad minimum 7. Doctores in vna familia eluxerint? Faxit Deus Optimus Maximus, vt digna tantis virtutibus & animo vita Reuerendiſſimo Principi Martino contingat, quò tranquillè ſuis imperet ſubditis, ac ſalutares Prouinciæ & Eccleſiæ perquàm in Franconia afflictæ cogitationes inſtituat; quemadmodum ſanè omnes curas in Rempub.

confert, & de Seminario vtilissimo alijsq; modis, quibus Religio labefactata instaurari possit, me ipso viuo teste & his auribus audiente, prouidentissimè cogitat: Quod vt feliciter procedat, ad Deum Omnipotētem vota & sacra facere, quoad vixero, non desistam.

AD REVERENDISSIMVM ET ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM AC DOMINVM, D. MARTINVM AB Eyb, Episcopum Babenpergensem, &c.

Ergone carminibus nostris indictus abibis,
Præsulibus Martine nouum decus addite sacris?
Ergóne, quem tanto Deus est dignatus honore,
Prætercam, Boijs ceu iussa silentia Musis?
Non ita; nec, Boius si carminis author Apollo
Hoc velit, allibeat scelus in me admittere tantum.
Credimus, & non vana fides, cœlestibus omnes
Res hominum volui à Superis, factosq; datosq;
Cœlitus esse magistratus: delicta Nerones
Sæpe mereri hominum: rutilum super æthera contra
Cùm pietas, virtusq; virûm transcendit in ipsos
Conspectus Diuûm, magna pietate magistros
Rite dari rerum: tanta est clementia cœli,
Et bene pro meritis reddit sua præmia iustis.
Fœlices ciues, & fœlicissima turba
Sacra sacerdotum, quando successit habenis
Mitis herus, patriæq; Pater, cùm parcere nouit,
Subiectosq; sibi sub relligione tuetur

Antiqua Dominus: bona si sua nosset, herumq́;
Acciperet grato, ceu fas est, pectore tantùm.
Nanq; quid est, quicquid vastis ambagibus orbis
Continet immensus, vel relligione parentum
Antiquaq́; fide maius, veroq́; Deorum
Cultu? quæue animæ res est æquanda saluti?
Scilicet incenditq́; animos & turbat amicos
Hæresis, augustos mouet in crudelia reges
Prælia, proh nimiùm diris erroribus actos,
Immensasq́; euertit opes, & regna superba
Diruit, atq; viros crudeli funere mergit.

Acclamatio ad Vrbem Bambergam.

Fœlix Vrbs ergo, nomen de monte Babonis
Quæ geris, heu nimiùm longos, precor, excute somnos,
Atq; oculos aperi tandem: te Iupiter æquus
Aspicit, & mitem rerum dedit ille magistrum,
Cui pietas cordi est, & virtus aurea curæ
Relligioq́; Patrum, cuius penetralia cordis
Hæresis haud vlla infecit, non impius error
Transuersum abripuit recto de tramite veri.
O animi Princeps magni, & virtute secundus
Haud vlli veterum, precor, huc tua lumina verte,
Et nostras, Præsul, non aspernare Camœnas.
Non hic institui cunctas euoluere laudes
Virtutesq́; tuas, quæ te posuêre cathedra
In tanta, mitramq́; tibi sceptrumq́; dedêre:
Ille etiam, qui te rerum Deus esse magistrum
Et regere imperio populos, terrasq́; potentes,
Atq; aras & templa simul, cultusq́; Deorum
Tutari iussit, fortunabitq́; labores,
Sufficietq́; tibi vires: huic fidere soli
Fas est, hic nobis est murus aheneus vnus.
Ergo parens rerum, iam nunc mitescere votis

Qui solitus: duce te Martinus & auspice Præsul
Relligionis opus, Spartamq; capessat habendam:
Illius auxilio veteres Ecclesia vires
Accipiat, totoq; fidem Franconia regno
Diues opum, Cererisq; domus, multiq; Lyæi
Terra ferax, iterum reuocatam extollat auitam.
Quin etiam sanctus, rutili nunc incola cœli,
Gaudeat HENRICVS *chara cum coniuge, terras*
Principe MARTINO *iam respirare paternas.*
Sit felix & sit florens Ecclesia, sitq;
Relligio pietasq; viris, atq; aurea cordi
Virtus: hæc, Princeps, votorum est Summa meorum.

INGOLSTADIANÆ ACADEMIAE PARS SEPTIMA DE PROFESSORIBVS SS. THEOLOGIÆ.

AD REVERENDOS,

NOBILES ET AMPLISSIMOS VIROS, AC DOMINOS, D. CHRISTOPHORVM PÖTTINGER DE PERSING, CATHEDRALIS Ecclesiæ Passauiensis Præpositum, &c. Ac D. Antonium Fabritium, SS. Theologiæ Doctorem, eiusdem Ecclesiæ Decanum, & Præpositum Mospurgensem, &c. Dominos & Patronos suos plurimum colendos.

ETIAMSI nihil mihi fuisset vnquam gratius & acceptius, Reuerendi, Nobiles & Amplißimi Viri,

 Domini

Domini ac Patroni plurimum obseruandi, quàm vt clarissimus atq; doctissimus Vir, M. Valentinus Rotmarus, P. L. & Oratoriæ Professor ordinarius, cuius manibus bene exopto, totam Academiæ Ingolstadiensis Historiam ad felicem perduxisset exitum: Veruntamen cùm charissimus ille meus Collega lecto affixus, antequam primo vere, cum summo omnium bonorum luctu, ex hac vita discederet, familiariter me rogaret, vt primum hunc Tomum, qui iam tum sub prælo sudabat, ante Nundinas Autũnales absoluerem; non potui certè petitioni eius tam honestæ refragari. Quocirca septimam hãc partem, quam autor ipse neq; correxerat, neq; omnino absoluerat, in manus meas suscepi, & pro virili parte, alijs etiam laboribus occupatus, emendatam absolui. Hoc autem admiratione dignum est, quòd Rotmarus cum Doctoribus Theologis morte deletis, quos iam tum descripserat, ex hac vita migrauerit, & alij etiamnunc viui à me fuerint describendi. Quantulumcunq; igitur est huius laboris mei, Reuerẽdis, Nobilibus & Amplissimis Dominationib. vestris, humiliter dedicare volui, quæ & ipsæ

ipsæ diuinæ SS. Theologiæ scientia mirificè excellunt: Quantum enim Reuerenda & Nobiliss. tua Amplitudo, Nobiliss. Dominę Præposite, tū in cognitione linguarum, Latinæ, Italicæ, Gallicæ, Bohemicæ, & Germanicæ, tum sacris literis, optimisq́; disciplinis profecerit, equidem, qui eam & Patauij, & in Bohemia literarum fundamenta docui, iam dudum præsagiebam, & Collegium Germanicum Romæ, & ipsa Bauaria luculentè testantur. Præclara etiam Reuerendæ Tuæ Magnificētiæ in Ecclesiam Catholicam merita, Magnifice D. Decane, eam optimo iure ad hoc dignitatis fastigium euexerunt: Quid enim Christianæ Reipub. cùm multis annis Landishutæ in Bauaria, & vigilantem Decanum, & doctum Ecclesiasten, & fidelem Consiliarium egeris, iam dudum tribueris & etiamnum tribuas, ipsa veritas in propatulo testatur. Quod si vita mihi Dei Opt. Max. benignitate suppetet, singulares Reuerendarum, Nobilium & Ampliss. Dominationum vestrarum virtutes in sequentibus Tomis aliquanto copiosiùs decantabo. Interim R. N. & A. D. vestras submissè rogo, vt hoc qua-

lecunq; munuſculum æqui boniq; conſulant, ac me priſtina ſua beneuolentia complecti ne deſi-ſtant. Valete, Patroni Optimi. Ingolſtadij Ca-lend. Septemb. Anno Domini 1581.

Reuerendis, Nobilibus & Ampliſ-ſimis Dominationibus veſtris

addictiſſimus

M. IOANNES ENGERDVS SS. Theol. Bacc. P. L. & Poëſ. ordinarius Profeſſor.

IOAN-

IOANNES PERMETER
EX ADORF.

IOANNES ab Adorf cognomentum sortitus à loco, vnde oriundus erat, alioquin dictus cognomine Permeter, operam dedit cùm humanioribus literis, & Philosophiæ, tum etiam Sacræ Theologię studio, Lipsiæ Misnensium, ibidemq; & Magisterij insignia in artibus liberalibus, & in Theologia Baccalaureatum formatum circa annum, nisi me computatio fallat, 1469. est consecutus.

Lipsiæ factus est Magister artium & Theologiæ Baccalaureus Formatus.

DEINDE anno domini 1472. Serenissimi Principis Ludouici, Ducis Bauariæ, &c. ad recens à sua Serenis. Celsitudine institutam Academiam, literis euocatus, Ingolstadium venit. Anno domini 1473. præmissis omnibus ijs, quæ ad insignia Magistralia seu Doctoralia in Theologia petenda, recipiendaque requiruntur, cùm iam vltra quartum annum S. Theologiæ Baccalaureus fuisset & quidem Formatus, secunda feria post festũ Purificationis Mariæ Licentiæ gradum in templo Beatæ Mariæ Virginis recepit, eodẽq; die Vesperias celebrauit: Die verò 9. Februarij Doctoralia insignia in eodem templo est consecutus, Promotore Ioanne Episcopo Hieropolitano, & Suffraganeo Ratispoẽnsi. Illustrissimus Princeps Ludouicus, felicis, vt opinor, ominis ergò magnificum proprijs expensis prandium exhibuit, adiunctis suæ Illustrissimæ Cels. tubicinibus, vt cum maiore solennitate actus ille Doctoralis perageretur.

Euocatur Ingolstadium.

PRIMVS hic fuit Adorfius, cui insignia Doctoralia conferri vidit Academia; primus item Theologiæ Professor Ordinarius. Quanquam enim ante eum Reueren-

Fit ibi idem Doctor Theologiæ Primus.

dus Dominus Ioannes Hoffmannus, Epiſcopus Hieropolitanus,& Suffraganeus Ratiſponenſis, &c. Theologiã per aliquod tempus (à prima credo intitulatione, id eſt, Menſe Martio, anni 1472. vſq; ad annum 74.) docuerat, Facultatem conſtituerat,& vices Decani geſſerat, Ordinarius tamẽ Profeſſor nõ fuit, ſed ab Illuſtriſſimo Principe conſtitutus, donec ſuæ Academiæ, de alio, pluribúſue Theologis Doctoribus & Profeſſoribus Sereniſſima eius Celſ. proſpiceret.

Fit Parochus apud D. Virginẽ.

EODEM tempore, anno ſc. 72. præſentatus fuit idem Adorfius ab Illuſtriſſimo Principe Ludouico ad Parochiam D. Mariæ Virginis,& ab Epiſcopo Aichſtadiano confirmatus, præfuitq; ei Parochiæ, tum Sacramentis adminiſtrandis, tum etiam concionandi munere annos triginta duos, à templo condito, & Parochiæ fundatione Parochus Quintus.

Primus Theologicæ Facultatis Decanus.

DECIMA Februarij anni 73. primò Facultatis Theologicæ Decanus eſt conſtitutus, præfuitq; ſolus, tum Cathedræ Theologicæ, tum etiã Decanatus officio, Epiſcopo Hieropolitano, cæteriſq;, qui tum in Facultate Theologica erant, aliô diſcedentibus.

Profitetur Theologiam.

LECTIONEM primam fecit eodem anno, die 22. Februarij, qui Cathedræ D. Petri erat ſacer, & Euangelium D. Ioannis auſpicatus eſt, cùm paucis diebus antè, d. 17. ſc. Feb. publicè in aula Collegij diſputaſſet.

TRICESIES & ſemel Decanatus Theologici munere eſt perfunctus. Rectoris verò officio decies. Feneſtram in templo B. Mariȩ Virginis ſupra Sacellum D. Ioannis proprijs, nec ijs leuibus, veluti res ipſa loquitur, expenſis, perpetuum & pietatis ſuȩ,& adminiſtrationis Parochialis teſtimonium, Anno Domini 1479. fieri curauit.

FIDELIS erat Paſtor, & Ouium ſuarum amantiſſimus,

mus, quas, ne peste quidem vehementer grassante, cum vitæ suæ periculo, veluti euentus docuit, deserere voluit. Nam anno 1505. cùm pestis Scholam, vrbemq; Ingolstadianam grauiter affligeret, post multos exantlatos, tum in docendi munere & Cathedra Scholastica, tum concionandi publicè officio, & animarum cura, labores, cùm vtriq; per 32. annos præfuisset, eadem lue pestifera infectus 6. Octobris diem suum obijt. Vnus est ex omnibus Parochis, qui insalubrem eius Parochialis domus aërem expertus, in ea functione diem suum obijt: cæteri omnes resignarunt. Et sepultus est apud B. Mariam Virginem in choro, vbi posterioribus annis etiam Iacobus Ionas, Vicecancellarius Cæsareus, Nicolaus Euerhardus senior, Iurisconsultus. & anno 1578. Reuerendus Dominus Martinus Eisengrein terræ mandati iacent. Duo sibi, vnum lapideum, alterum verò ligneum, & quidem pictum ad parietem iuxta sacrarium sibi monumenta erigi voluit. In lapideo eiusmodi est Epitaphium:

Eiusdem Epitaphia.

Adorf me genuit: docuit Lips: Theologia
Ecclesiaq; gradum tradidit Auripolis.
In grege Pastor eram, fidei mysteria pandens;
Grex manet, at ductor peste furente cadit.

MORITVR Anno Christi 1505. Sexto Mens. Octobris

Ligneæ tabulæ eiusmodi est inscriptum Epitaphium priori Tetrasticho aliquantò elegantius, quanquam vtrumq; simplicem antiquitatem sapiat: Epitaphium ad posteritatem Egregij viri & Domini Ioannis Adorfensis Theologiæ Professoris editum.

Mortales si flere iuuat, deflete Ioannem
Ex Adorf, precibus huncq; piate locum.
Post cineres, bustiq; faces qui digna meretur
Stemmata, virtutis & monumenta suæ.

Doctor

Doctor enim celebrem per bis tria lustra Cathedram
Gymnasij tenuit, Theologia, tui
Principis auspicio Lipsensi ductus ab arce,
Palladis hic niuea semina prima dedit.
Gnarus Aquinatis Thomæ documenta secutus,
Scripturæ prompsit sensa profunda sacræ.
Hieronymi siquidem redolentia scripta diserti
Excoluit, reliquos nec sine laude Patres.
Sollicitus Christi Mystes Rectorq́ꝫ popellum
Moribus, exemplo, legibus instituit.
Virginis æthereæ, quæ sancta protulit aluo
Christum, cultor erat ad pia sacra frequens.
Quas grates non soluit homo, dabit auctor Olympi,
Cùm frontem nitidam cœlica serta prement.

CVM & Facultas Theologica, nec labor ipsius immemor, nec ingrata eidem Adorfio tertium monumentum in Schola Theologica suis expensis fieri curauit, cum insignijs eiusdem gentilitijs in medium appictis. Id tale est.

Moritur Ingolstadij.

ANNO Domini 1505. sexta die Octobris, obijt clarissimus artium & Sacræ Theologiæ Magister, D. Ioannes de Adorf, quintus Plebanus B. Mariæ virginis, Primus ordinarius in Theologia, & præfuit Cathedræ Magistrali in eadem, quasi ad triginta tres annos vtiliter legendo, & disputando, & primus Magistralia insignia in Theologia hîc recepit: Cuius anima Deo viuat.

Fundauit duo stipendia Theologica.

FVNDAVIT idem Adorfius duo stipendia pro Theologiæ Studiosis, & conferendi potestatem habet Facultas Theologica.

IOANNES EPISCOPVS HIEROPOLITANVS ET SVFFRAGANEVS RATISPONENSIS.

ETSI

ETsi ſtatueram, ordinẽ Profeſſorum neutiquã interturbare, neq; quenquam interponere, qui publice & ordinario docendi munere non eſſet perfunctus; quia tamen Reuerẽdus Dominus, Ioannes Hoffman, Epiſcopus Hieropolitanus, &c. multa Facultati Theologicæ præſtitit, ne lui eum in locum poſteriorem reijcere, neq; ſilentio præterire tantum virum potui.

INTER cæteros inſigniores viros, qui primi nomen ſuum Academiæ dederunt, numeratur etiam Reuerendus in Chriſto Pater ac Dominus, Ioannes Epiſcopus Hieropolitanus, & Suffraganeus Ratiſponenſis S. Theologiæ Doctor. Acceſſerat ad Academiam non tam vt profiteretur, quàm vt erectioni & ſolenni Academiæ Ingolſtadianæ publicationi, Reuerendiſſimi ſui Epiſcopi, vt arbitror, nomine intereſſet. Verùm cùm adhuc Doctores Theologi ſuppeterent nulli, nec dum Adorfius inſignia Doctoralia recepiſſet, Illuſtriſſimus Princeps Ludouicus, autoritate tanti viri motus, eum ad temporis aliquantulum Theologiæ Profeſſorem & Facultatis eiuſdem Decanum conſtituit.

Promotor Domini Adorfii.

Theologiæ Profeſſor & Facultatis eiuſdem Decanus conſtituitur.

ANNO 1473. die 4. Febr. cùm iam iam promouendus eſſet Dominus Ioannes ab Adorf, primus Facultatem cõſtituit, & recepti ſunt ad Conſilium Facultatis Theologicæ, 4. quidem die Feb. Ioannes Hebrer Babenpergenſis, artium & Theologiæ Doctor; & die 7. Feb. Reuerẽdus Pater, ac Dominus Lucas Praun Doctor Theologus, Ordinis Prædicatorum, & Monaſterij Auguſtani Prior, ex quibus ille 3. die, hic verò ſexto Februarij ad Scholam acceſſerant.

Eo ipſo tempore Reuerendus Dominus Ioannes cum ſuis Collegis modò ad Facultatis Conſilium aſcitis, Statuta pro Candidatis cuiuſcunq; gradus in Theologia

condidit, & Ioannem ab Adorf primum Doctorem creauit. Quando sit mortuus, non habeo.

GEORGIVS ZINGEL EX SCHLIERSTAT.

IOANNI ab Adorf, Doctori Theologo & Professori & in docendi munere, & Facultatis Consilio ab anno 1475. vsque ad annum 1505. quo obijt Dominus Adorfius, vnicus fuit collega Dominus Georgius Zingel ex Schlierstat, artium & Theologiæ Doctor. In Procancellariatu successit anno domini 1477. Carolo Fremont Pariensi, LL. Doctori & Professori. Rectoratu quartò, Decanatu verò Theologico trigesies & semel est perfunctus, octo Magistrorum seu Doctorum in Theologia, vt vocant, Pater seu Promotor. Qua pietate fuerit, quoque zelo erga religionem Catholicam, & bonas literas, sine quibus nec Politica, nec Ecclesiastica Resp. potest consistere, vel ex eo intelligi potest, quòd duorum stipendiorum, & quidem post Serenissimum Ducem Georgium, primus in Collegio eiusdē Serenissimæ Celsitudinis Fundator exstiterit, qui & ijsdem tenerētur legibus, & ijsdem potirentur commodis, quibus fruuntur Serenissimi Principis alumni.

Procancellarius, Rector aliquoties. Decanus sæpissime.

Fundator duorū stipendiorum in Collegio Georgiano.

OBIIT 26. Aprilis anno 1508. post multas tribulationes, quàs à suis æmulis est passus, cùm annos circiter 25. Theologiam docuisset. Sepultus est apud Franciscanos, intra cancellos Templi ad sinistram, cum marmoreo Epitaphio.

Moritur.

QVÀM verò bene de Rep. tum Ecclesiastica, tum etiā

literaria

literaria sit meritus: Quàm omnibus & singulis, & præsertim Theologis charus extiterit, indicio nobis, imò argumento est certissimo, monumentum, quod illi Facultas Theologica in suo Auditorio pingi curauit: Id est eiusmodi:

REVERENDO Patri, artium ac Theologiæ Doctori, Domino Georgio Zingel, inclytæ Eistettensis Ecclesiæ Canonico, Vicecācellario, & Ordinario famigeratissimo huius Gymnasij, qui Cathedræ doctè & egregiè circiter annos 35. cum magno Studiosorum incremento præfuit. Magistratus & officia seuerè ac grauiter administrauit, nec veritus ob iustitiam iniuriosos ictus pati, Esaiæ diligens obseruator. Vixit annos 80. mensibus tribus, dies 4. Fato concessit anno Virginei partus 1508. die *26.* Aprilis. Alma Theologica Facultas Præceptori pientissimo & de se optimè merito. P.

Monumentum in Auditorio Theologico positum.

Viue Pater Superis: nanq; est nil viuere mundo,
Iactamur pelago & tetris inuoluimur vmbris,
Qui circumferimus demersam corpore mentem.
At tibi luce datum vera & propiore Deorum
Colloquio, vultuq; frui: nec turbat amicam
Vlla dies pacem, nec nox post atra labores
Insomnis trahitur: dura de pectore curæ
Cesserunt: nihil hic, nisi gaudia mille resultant.

CVM verò hic Dominus Zingelius ex mortali emigrasset vita, professio ea est demandata Ioanni Petendorfero Theologiæ Doctori, & eodem etiam anno, digresso aliò Ioanne Plueml, de quo postea, eidem etiam Parochię administratio cessit. Solus tum erat Theologiæ Professor, & Decanus Petendorferus: Itaq; vt Facultatem qualemcunq; Theologicam constitueret, & promouendi ius haberet, adsciuit sibi in Collegam anno domini 1510. die 20.

Professor ss. Theologiæ.

Parochus ad D. Virginem.

Decanus.

Ianuarij, Reuerendum Patrem Ioannem Fortem, artium ac Theologiæ Doctorem, Studij Viennensis, Prouincialem ordinis Carmelitarum per superiorem Germaniam.

Vicecancellarij officio semel atque iterum functus.

NEQVE tum etiam Ordinarius erat Vicecancellarius Scholæ, itaque semel atque iterum idem Petendorferus Vicecancellarij officio, ex commissione Reuerendissimi Principis Aichstadiani, &c. fungitur: Sed ne longioribus Lectorem ambagibus detineam, & illud mihi Horatianum iustè occinatur:

PARTVRIVNT montes nascetur ridiculus mus.

AVT quòd etiam monstrum horrendius illo, non erat tum temporis, dicam quod res est. Excrementum fuit & putamen nostræ Scholæ.

Ferrariæ Doctor factus.

NAM posteaquam Rectoratus dignitate potitus fuisset, anno 1509. in ipsis diebus canicularibus profectus est in Italiam, & Ferrariæ Doctoralia recepit insignia: & cùm biennium tam Parochiæ, quàm Academicæ Cathedræ præfuisset, docendiq; munere penè solus esset functus, anno duodecimo, pridie Cal. Maij, resignata lectione & Parochia, Herbipolim abijt, eò scilicet ad Suffraganeatus dignitatem & officium vocatus. Ibi verò, cùm turpissimæ libidinis æstu arderet, & iuramenti sui, & animæ propriæ salutis immemor, tandem sequentibus annis à Catholica defecit religione, vxorem duxit, & ad Lutheri castra totus transijt.

Apostata factus.

FACVLTAS Theologica tantum scelus ægerrimè ferens, in perfidię illius & periurij ęternam memoriam, execrationemq;, fecit illi in sua Schola monumentum, cum inuersis insignijs gentilitijs, & eiusmodi Tetrasticho, anno 1525.

Desertor fidei, mendax è Præsule factus,
Ex pastore Lupus, atq; lutosus aper:

Vltricem

Vltricem tulit hanc inuerso stemmate pœnam
Fumida Plutonis quòd modò tæda cremat.

Hoc suò antecessore non erat successor melior, sed vterq; Hæreticus,& instrumentum Sathanæ. Quod vt planius intelligatur, Hæretico & Apostatæ Petendorfero successit in Parochiæ administratione anno 1512. M. Balthasar Huebmair,ex Fridbergo oppido Bauariç,non procul à Lyco & Vrbe Augustana, oriundus, nisi quòd antecessorem & Apostasia & miserabili vitæ exitu anteuerterit: Parochus apud D. Virginem Octauus. Sed prosequamur Historiam breuissimis. S. Theologiæ Baccalaureus formatus est Friburgi Brisiacorum creatus. Doctoralia autem insignia recepit Ingolstadij, anno 1512. die 2. Sept. Procancellario & Promotore Ioanne Eccio.

Fit Parochus apud D. Virginem.

S. Theol. Bacc. Formatus Friburgi Brisogiç creatus.

DISCESSIT Ingolstadio die 25. Ianuarij, anno 1516. vocatus Ratisponam ad animarum curam in summo Templo, cùm docendi muneri per tres annos apud Ingolstadienses præfuisset. Ratisponæ infectus est hæresi,& cùm primùm ea res innotuisset, inde est eiectus. VValdishutum itaque (quod ad Rhenum est oppidum supra Basileam, vt opinor) profectus, iterum curam animarum suscepit, & ibidem, nihil de concepta semel malitia, hæresiq; remittente animo, Anabaptistarum Dux & autor est factus. At cùm in eo oppido sibi suæq; hæresi locum esse nullum intelligeret, eò quòd sub Catholicorũ Austriç Archiducum imperio esset, turpiter indè Turegum Heluetiorum aufugit, vbi pari laborans infortunio à Zvvinglianis captus, & ad Palinodiam coactus est.

Doctor Theologiæ Ingolstadij.

Ratisponæ fit Ecclesiastes in summo templo, & ibidem Apostata

VValdishuti fit Anabaptistarũ dux & autor.

Turegi Heluetiorum captus, Palinodiam cecinit.

SOLVTVS è vinculis in Morauiam proficiscitur, aut quia tutiorem suæ hæresi quærebat locum, aut quòd fata ipsius eò ad pœnam suæ perfidiæ Hæreticum illum trahebant, & abiuratam rebaptizationis hæresin instaurat, do-

cet, publicatq;. Quod cùm Catholicissimus, & pijssimus Rex Ferdinandus, pòst Imperator, eius nominis Primus, intellexisset, nec tantam sibi suis prouincijs ferendam esse pestem, denique principijs in quocunq; malo obstandum, sapiēter ac piè arbitraretur, capi nefarium illum hominem, & Viennæ anno 1520. cùm in errore suo esset pertinax, vnà cum coniuge falsò credita iussit comburi. Statuit illi in æternam periurij memoriam Facultas Theologica in sua Schola, insignibus inuersis, Monumentum, quo hæc notauit, ex quo & illa sunt verba:

In Morauia captus & Viennā abductus, ibi comburitur.

Deus tradat eum in interitum carnis, vt Spiritus saluus fiat, Amen.

Sempiternum periurij monumentum in Auditorio Theologico.

ATQVE parieti hæc verba inscripta, antequàm Viennæ combureretur, erant, meo iudicio, instar diuini oraculi, & de nefarij viri exitu Prophetiæ. Neque tamen quisquam hos Apostatas nostræ Academiæ tanquam opprobrium obiecerit, cùm neque Scholæ, neque Religionis nostræ culpa factum sit, sed quia malignos habebant animos, & dæmoni, mundo, & carni apertas ad accessum offerebant fores. Neque ex eo vsque tempore eiusmodi in nostra Academia euenisse casum quisquam recordatur.

IOANNES PLVEML INGOLSTADIANVS.

Parochus diuæ Virginis.

MORTVO Ioanne ab Adorf, tam in docendi munere, quàm in parochiæ administratione, & animarum

rum

rum cura, ſucceſſit Ioannes Plüeinbl Ingolſtadianus, anno 1506. Idq; ex Sereniſſimi Principis, Alberti Quarti Boiorum Ducis mandato. Licentiatus gradum recepit in Templo Beatæ Mariæ Virginis, anno 1486. die 19. Maij Procancellario Georgio Zingel &c. Ab eodem, anno 1506. Doctoralibus inſigniis in Theologia, 13. die Februarij, eſt donatus, & à Sereniſſimo Boiorum Duce Profeſſorum numero aſſcriptus. Lectionem primam fecit 2. Martij.

Creatur Doctor Theologus.

Fit Profeſſor.

PACE hoc dixerim Theologorum: Laborauit vir ille, veluti nemo eſt ab omni parte beatus, ambitioſa quadam inſolentiæ, & vehementi præcedentiæ morbo, qui cùm Licentiatus eſſet Theologiæ, Decanum Facultatis Philoſophicæ, cuius erat membrum, non in actibus tantùm publicis, ſed etiam Facultatem concernentibus philoſophicam, tentabat præcedere, & inter Theologos ſibi locum vendicare; interim tamen Facultatis emolumentorũ particeps eſſe volebat. Reſiſtente autem viriliter Decano Philoſophico cum ſuis collegis, tandem poſt litis conteſtationem, & hinc inde replicas, duplicas, triplicas, & quadruplicas productas, ad arbitros, tum ex Actoris, tum etiã parte Facultatis electos, & Superarbitrum, ſi arbitri rem inter ſe non poſſent componere, compromiſſione vtrinq; facta, res eſt deuoluta. Cadit bonus ille Licentiatus cauſa, tum arbitrorum ex parte Facultatis, tum verò Superarbitri vtrinq; electi ſentẽtia deciſiua, & decretum eſt, vt in omni congreſſu, Decanum pro ſuo capite agnoſceret, modò membrum eius Facultatis eſſe vellet, & Decano ſuam præcedentiam relinqueret, ipſemet ſubſequeretur. Sed hæc fuſiùs in Annalibus noſtris.

Contentio eiuſdẽ cum Facultate Artiſtica de præcedentia.

Contentionis eius finis.

PROFESSVS eſt apud Ingolſtadienſes Theologiam, & pariter Academicæ Parochiæ præfuit, annos circiter duos: pòſt

os: pôst, anno scilicet 1508. mense Septembri, aut paulò pôst, Bruxellas Bruceiniæ ad concionandi munus abijt. Quo tempore sit mortuus, nihil certum habeo.

IOANNES ECCIVS.

Ex DOCTORIBVS Theologis, qui primis Academiæ temporibus docuerunt, ante alios omnes & docendo, disputando, & scribendo vnus effulsit Ioannes Eccius, Artium, Decretorū & Theologiæ Doctor, Professor, Protonotarius Apostolicus & Inquisitor, Academiæ Procancellarius & Canonicus Aichstadianus, hæreticorum, vt opinor, prauitate & insolentiis, tum etiam iusto dolore, propter inuasam ab Hæreticis Ecclesiam, & religionis amore procul dubio excitus. Eccius à loco natali dictus, aliâs cognomento Maioris. Accessit Academiam nostram anno 1510. mense Septembri. In Sacra Theologia Licentiam Friburgi Brisiacorum adeptus. Doctoratus verò gradum illi nostra contulit Academia. Successit tum in docendi munere, tum in Procancellariatus officio, Domino Zingelio. Docuit Theologiam in schola Ingolstadiana annos circiter triginta duos. Rectoratus dignitate quartò, Prorectoratus aliquoties, Decanat⁹ Theologici multoties est perfunctus. Inter scriptores Ingolstadianos in Theologia primus, data scilicet per insaniā Lutheri tanta scribendi occasióne, quæ negligi à tam eximio Philosopho & Theologo neq; potuit neq; debuit.

Eccij patria.

Professor & Procancellarius Rector & Prorector.

FVIT vir ille acutissimi ingenij, animiq; imperterriti, proinde inuictus disputator. Fortissimus religionis Catholicæ contra improbos nouatores & apostatas propugnator, grauissimusq; hæresiomastix. Descendit aliquoties

quoties in arenam, & cum hæreticis cominus, eminusq; fœliciter pugnauit. Lipsiæ quidem cum Luthero ipsomet, & Carolstadio: Badenæ verò cum Oecolampadio: Id quod in Epistola dedicatoria in Enchiridio suo his verbis testatur: Et ego omnium minimus cum his bestiis dentatis & eminus & cominus pugnaui. Cominus quidem, Lipsiæ cum ipso Draconis capite Luthero & Carolstadio, viginti diebus disputando, spectante nonnunquam D. Georgio Saxoniæ Duce. Et in Baden cum Capharnaita Oecolampadio & asseclis, assidentibus 12. Cantonum Heluetiorum, & quatuor Episcoporum ambasiatoribus, pluribus diebus conflixi. &c. Eminus verò, multis à se & doctissimis libris pro incolumitate Ecclesiæ & religionis editis: inter quos præter minutiores locum obtinet primum, Homiliæ, & Sermones de Tempore & Sanctis: de Primatu Petri; de Missæ sacrificio: Enchiridion locorum communium. Et iterum de Missa libri tres: de Prædestinatione, de Purgatorio. In Philosophia verò, commentatus est in Logicam & totum opus Physicum Aristotelis: de qua re consulatur Gesnerus in prima parte Bibliothecæ, & eiusdem appendice.

Frequẽter cum Hæreticis diuersis in locis disputauit.

Scripsit libros in Theologia.

POST multas peregrinationes, laboresq; propter Ecclesiæ Dei & Catholicæ Religionis incolumitatem exhaustos, tandem 4. Iduum Februarij, anno domini 1543. circa meridiem, pie ac fœliciter in Christo obdormiuit. Sepelitur apud D. Virginem, ante Altare SS. Sacramenti Altaris, & Sacri Olei reconditorium, cum eiusmodi Epitaphio, quod æri insculptum est, & intra prædictum reconditorium, & Altare parieti affixum conspicitur.

Moritur Ingolstadij.

Viator preces funde,
Eckius hic iacet.
Abi moriture.

IOANNI Eckio Theologo inuicto, Fratri de se bene merito, Simon Eckius M. P. Vixit annos LVI. Menses II. dies XXI. Obijt anno M. D. XLIII. Quarto Idus Februarij, sub meridiem.

Epitaphia Eccij.

HABET & alterum Lapideum monumentum, parieti infixum, in Sacello trium regiorum Magorum, quod idem Simon Eckius, pietatis & amoris fraterni plenum illi posuit. Id tale est.

D. O. M. S.

Eckius hac Frater Fratri monumenta locauit,
Et bene promeritis manibus esse cupit.
Fortiter in Christi castris hic viuus agebat,
Magnus doctrina, maximus ingenio.
Funde preces, animam Christo, moriture Viator,
Commenda: pietas quemlibet ista decet.

Elogium Eccij in Schola Theologica.

QVIN & Theologica Facultas tanti viri, eiusq; in Academiam & Religionem Catholicam summa merita, minimè immemor, nec ingrata, eidem Theologo in sua Schola monumentũ, & insigne virtutum illius elogium posuit, quod adscribere non est abs re:

IOANNES Eccius. S. Theologiæ Doctor: Academiæ Ingolstadianæ Procancellarius, Professor, Protonotarius Apostolicus, & Canonicus Aichstadianus, Theologorum suo tempore Phænix & miraculum, qui & eminus & cominus aduersùs Sectarios sub capitis quoque periculo depugnare non est veritus. Is præterquàm in Philosophia admiranda

admiranda volumina conſcripta publicauit, tantus fidei auitæ propugnator extitit, vt ſæpius, vel in comitijs Imperij, vel in Academijs, vel in Colloquijs paſſim quantus Hæreticorum malleus eſſet, teſtatum fecerit, vbi aduerſariorum etiam confeſſione diuini ſui ingenij, quo maximè pollebat, duplicem reportauit laudem. Primò quòd incomparabili memoriæ dono vigeret. Deinde quòd inuicta diſputandi vi ad ſtuporem vſque auditorum oculos in ſe conuerteret: auſus quoq; cum ſectæ Lutheranæ Coryphæo Luthero Lipſiæ, veluti Hercules cum Hydra Lernæa congredi. Huius monumenta ſacra, cùm publicè proſtent, Lectorem cupidum illûc remittimus. Vixit annos &c. cùm publicè ingenti auditorum fructu, annos 31. ſacra profeſſus fuiſſet.

VERVM nec hoc tacere poſſum, quòd Italiam quoq; ſui nominis celebritate repleuerit, eamq; diſputando Romam vſq; peragrauerit. Redijt autem Roma anno 1522.

THOMAS RAMELSPACH.

ANNO Domini 1516. digreſſo Balthaſaro Huebmario, ſolus erat in Facultate Theologica relictus Dominus Ioannes Eccius, cui paulò pòſt deſignatur collega M. Thomas Ramelsbach, Baccalaureus S. Theologiæ formatus. Itaq; Dominus Eccius continuato Decanatu per duo ſemeſtria adſciſcit ſibi Stephanum ex Eberſperg, Doctorem Theologum, & M. Ramelspachio 5. die Maij eiuſdem anni Licentiam, & 8. eiuſdem Menſis Doctoralia confert inſignia.

S. Theologiæ Doctor creatur Ingolſtadij.

DOCVIT Dominus Ramelſpachius Theologiam an-

nis tribus, & mensibus vndecim, (si modò non falsus est in temporis supputatione, qui monumentum in Theologica schola fecit) & cùm anno 1518. semestri æstiuo Rector Academiæ in absentia esset constitutus, eoq; officij genere vsq; ad Dominicam Lætare anni sequentis functus, vocatur à Reuerendissimo & Illustrissimo Principe ac Domino Ernesto Duce Bauariæ, & Administratore Patauiẽsi ad concionandi prouinciam. Resignat igitur & Rectoratum & Professionem simul, & Patauium discedit. Administrauit Rectoratum etiam anno 1514. semestri æstiuo. Obiit anno 1530.

Rector Academiæ eligitur.

Fit Passauiæ Concionator in summo Templo.

Obijt ibidem.

Non sine fruge tamen superas pater inclytus auras
Deseruit; teneram magna cum laude iuuentam
Quòd docuit, quòd scripturæ sensa abdita sacræ
Eruit, & vulgo meritos pietatis honores
Suggestu ex alto verbis monstrauit amicis.
Salue ergo æternumq; vale, super æthera cœlo
Qui resides, pater, atq; æterna in pace repostus.

LEONARDVS MARSTALLER.

LEONARDVS Marstaller, patria Norinbergensis, & eiusdem ciuitatis Imperialis in honestis studiis Alumnus. Accessit eodem tempore, quo Ioannes Eccius ad Academiam, anno scilicet 1510. Vbi cùm aliquandiu operam dedisset literis, Lutetiam Parisiorum proficiscitur, & studiis Theologicis totum se dedicat. Inde reuersus in Germaniam, iter Viennam Austriæ apparat, Vbi aliquandiu moratus, Doctoralia in studio Theologico recipit insignia. Hinc rediens Ingolstadium anno 1519, Professorum

Lutetiæ Parisiorum Theologos profundissimos audit.

Viennæ Doctor Theologiæ inauguratur.

fessorum numero & Facultati Theologicæ asscribitur, primoq; Decanatu Theologico fungitur, anno 1520. Semestri æstiuo. Præfuit suæ lectioni magna cum laude & fructu, quia iam studia renata videbantur se humo tollere, & durum Barbariei iugum excutere.

Fit Professor Ingolstadij & Decanus.

SVCCESSIT autem in ea docendi prouincia Thomæ Ramelspach, Doctori Theologo, qui anno præcedenti Patauium discesserat. Mortuo Domino Ioanne Eccio anno 1543, professioni suæ Vicecancellariatum, beneficio Episcopi Aichstadiani, & Canonicatum in eadem Ecclesia Cathedrali addit. Rectoratu quartò, Prorectoratu aliquoties, & Decanatu Theologico multoties est perfunctus.

Fit Procancellarius.

Rector & Prorector eligitur sæpius.

ANNO verò 1546 sub initio pernitiosissimi belli Germanici, seu Schmalcaldici, cùm grauiter ex destillatione cæpisset ægrotare, quam ex nimio, vt opinor, studio, nocturnisque contraxerat vigilijs: Frisingam discedit, vt ibi à laboribus respiraret, & collapsas recrearet instauraretq; vires. Verùm quia nihil remittebat morbus, sed indies magis magisq; inualesceret, tandem morbo succumbens, 17. Martij, piè in Christo obdormit. Cadauer Ingolstadium est relatum, & ad D. Mariam Virginem in Sacello trium regum, quorum antistitem egerat, honorificè terræ est concreditum, habetq; lapideum ibi ad parietem monumentum, cum eiusmodi inscriptione & elogio:

Obijt Frisingæ.

Sepelitur Ingolstadij.

REVERENDVS Pater Dominus Leonardus Marstaller, Vrbis Norinbergæ Alumnus, S. Theologiæ Doctor, eiusdemq; Lector Ordinarius, & Procancellarius Academiæ Ingolstadianæ eximius, cùm annis 26. literas sacras, publica docendi prouincia professus fuisset, atq; Vicecancellarij munia, donec lucis vsum Cœlites indulgerēt, plausibiliter administrasset, mors atra, cui nihil non cedit,

Epitaphiũ eius.

ſupremum viuendi limitem attulit Friſingæ. 17 Martij, anno 1546. Vixit annos 57. menſes 2. dies 21.

HABET idem Marſtallerus etiam in Auditorio Theologorum Epitaphium, eiuſdem Facultatis opera & impenſis procuratum, ex quo pleraq; deſumpſi: Itaq; adſcribere nolui.

NICOLAVS APELLES.

Magiſter & Sextumuir.

NICOLAVS cognomento Apelles patria Eguelus, liberalium artiũ Magiſter, & Sextumuir, id eſt, Vnus ex illis ſex, quib. pro lectionibus ſuis ex Camera Vniuerſitatis fiebat ſatis (reliquis enim Profeſſoribus artiũ auditores numerabant) eximius Philoſophus, & diſputator acutiſſimus. Rectoratus dignitate ſecundò perfunctus eſt, Decanatum Philoſophicum bis geſſit, Theologicum verò aliquoties; habuit in Facultate Theologica ſibi collegas Dominum Eccium, & Leonardũ Marſtallerum. Atq; ipſe ternarius numerus nouo quodam fiebat exemplo, cùm hactenus duo tantùm Profeſſores Theologi Facultatem conſtituiſſent.

Rector & Decanus.

VERVM hoc ipſum ſingulari Apellis aſſcribi debet eruditoni, vt non immerito ex gratia receptum, ideſt, tantum eum propter eximiã eruditionem valuiſſe gratia, vt ſtatim poſt recepta Doctoralia inſignia, & in Facultatem adoptationis, & numero Profeſſorum aſſcriptus ſit, quidam magni nominis Theologus annotârit. Anno Domini 1522. die 10. Aprilis Doctorali laurea eſt inſignitus. Anno eodem Theologiam in Academia docere incepit, idque magna cum laude & auditorium applauſu.

Fit Doctor & Profeſſor Theologiæ.

INTEL-

INTELLIGEBAT autem Vir ille prudentiſſimus, præter temporũ noſtrorum conſuetudinem, quantopere linguarum cognitio ad ſolidam eruditionem, tum verò perfectam ſacrarum literarum cognitionem, & interpretationem requireretur.

ITAQVE vt commiſſam docendi Spartam & prouinciam eò fœlicius poſſet ornare, & adminiſtrare, non erubuit iam ætatis adultioris, & qui doceret alios ſe, quoque ab alijs doceri & in ijs inſtitui, quæ ipſemet ſibi ignorare videbatur. Erat tunc temporis in noſtra Academia Ioannes Reuchlin, aliâs dictus Capnio, LL. Doctor, Vir magnæ eruditionis, & trium linguarum peritiſſimus.

In Græcis & Hebraicis literis Præceptore viuus eſt Capnione.

Ex eo itaq; Grçcæ & Hebraicæ linguæ cognitionem hauſit, & cùm iam per decennium ſacram ſcripturam fœliciter eſſet docendo profeſſus, nec non diſputando publicè ſeſe exercuiſſet, oblatis eidem & opimis ſplendidisq; & magnificis, honorificisq; conditionibus, eam, quæ inter omnes quidem erat tenuiſſima, ſed illi ad lucrandum talento ſuo ampliſſimam videbatur offerre occaſionem, elegit, & munus concionandi in Moſpurgo, exiguo ad Iſarum infra Monacum oppido, acceptauit.

QVO officio, cùm annis 14. functus eſſet, ibidem ſub diem feſtum Aſſumptionis B. Mariæ Virginis animam Chriſto, à quo acceperat, piè reddidit. Dignus profectò erat, cuius Epitaphij margini inſcriberetur.

Fit Concionator Moſpurgi.

Qui non græca ſimul iungit documenta Latinis,
Is verè docti nomen habere nequit.

ILLVSTRE profectò, quicunque ad ſolidam contendunt eruditionem, ſibi in hoc Apelle ſtatuant exemplum; quamque hebraicæ linguæ ſeu ſanctæ præcipuè in Theologo, in aliis non item, in omni verò Græcæ linguæ cognitionem requiri dicimus.

HABET

HABET Apelles eruditionis & industriæ testimonium in Schola Theologorum (vnde pleraque etiam desumpsimus) collegarum ipsius opera, & Facultatis impensis factum.

IOANNES SCHROETINGER.

IOANNES SCHROETINGER Bauarus ex oppido Mercklen, non procul ab vrbe Purckhusiana, oriundus, ingenio, eruditione, eloquentia & rerum experientia præstans. Cõuentorem primò egit in Bursa Liliorum annum circa 1518. Decanatus officio functus est philosophico, vnus ex collegiatis seu sextumuiris, id est, Professor Ordinarius & Publicus in Philosophia. Collegio Georgiano præfuit Regens per biennium.

Conuentor in Bursa liliorum.

Professor in Philosophia, Decanus & sextumuir.

Regens fuit Collegij Georgiani.

MITIS, & placidi & ab omni contentione alieni eum fuisse animi, vel illud testatur, quòd cùm M. Matthias Khretz de collegiatura, seu professione proximè vacante cum eo, anno 18. vter vtri præponendus esset, contenderet, & Facultas Philosophica illi minimè cedendum arbitraretur, tamen quia contentiones oderat, contentioso Khretzio præcedentiam reliquit.

MAGNÆ illum apud Facultatem philosophicam autoritatis, ac proinde in rebus agendis fuisse industrium, inde colligo, quòd eius opera in grauissimis negotiis & tum quidem cum de Priuilegiis suis, Statutis antiquis & Consuetudinibus periclitaretur, Facultas est vsa. Eximiè tum in Philosophicis, tum in Theologicis studiis profecit, adeò vt Theologus perhibeatur fuisse acerrimus.

ANNO salutis humanæ 1525. posteaquàm Licentiæ gradum

Fit Theologiæ Licentiatus & Professor, deinde etiã Doctor.

gradum esset anno 22 adeptus (nam Doctoralia insignia recepit serius) illicò Theologiam docere incepit, Theologicoque aliquoties Decanatu est perfunctus, & docendi prouinciam ad annum vsq; 1536 administrauit. Interea, benignitate & clementia sui Patroni, Reuerendissimi & Illustrissimi Principis Ernesti, Boiorum Ducis, & Episcopi Patauiensis, Canonicatum in Cathedrali Ecclesia obtinuerat.

ITAQVE anno 1536. auocatus à Principe Ernesto, cùm vlteriorem dilationem non posset impetrare, inuitus, & Professionem, & vrbem relinquit, & Patauiū abit, tum quidē ad Canonicatum satisfaciendū, & Parochiam Pfarkirchensem, quæ est eius Diocæseos, administrandā, regendamq;; tum verò vt Episcopi in spiritualibus Vicarium ageret.

Fit Canonicus Patauiensis & Parochus Pfarkirchensis.

HÆC PARTIM ex actis, partim ex Epitaphio, quod illi Facultas Theologica in sua Schola pietatis & memoriæ ergò posuit, sunt desumpta.

OSVALDVS FISCHERVS.

OSVALDVS Fischerus Arnspergerus ex Nariscis oriūdus; Quidquid vel eruditionis habuit, vel dignitatis vnquam est assecutus, id omne cum ꝓprio quidē ingenio, laboribusq;, tū verò Academiæ nostrę. Multos annos apud Ingolstadienses claruit, ac primùm longo tempore in Philosophia docuit, & anno 24. Decani officio est functus. Pòst anno 1528 Collegio Georgiano præficitur, cui per vndecim annos vtiliter & laudabiliter præfuit. Resignat autem Collegij administrationem, non quia il-

Philosophiæ Professor & Decanus.

Fit Regens Collegij Georgiani.

Fit Parochus Academicus.

Fit Theologiæ Licentiatus.

lum tæderet eius prouinciæ, ſed quòd eius curæ Parochia Academica traditur. Cui,vt cum maiori autoritate & honore præeſſet,Licentiæ gradum in S.Theologia anno 40 petiit,& impetrat.

Fit Profeſſor Theologiæ.

Rector Academiæ &,Procancellarius.

Suffraganeus Friſingenſis.

SVCCESSIT autem in Parochiæ adminiſtratione D. Ioanni Eccio, qui cùm aliis diſtraheretur negotiis,vt Parochiæ vacare nō liceret, ad manus Academiæ eam liberè reſignârat. Quæ res illi non mediocrem, cùm apud populum,tum etiam Academicos, aliosq; viros principes exiſtimationem peperit,vt Illuſtriſ. Princeps Gulielmus Dux Bauariæ &c. numero Profeſſorum in Theologia eum adſcriberet: Academia Rectoratus dignitate honoraret: Reuerendiſſimus Epiſcopus Aichſtadianus Procancellariatu dignum iudicaret, & defuncto Leonardo Marſtallero ſubrogaret: Reuerendiſſimus deniq; Epiſcopus Friſingenſis ad Epiſcopalem dignitatem,& Suffraganeatus officium Ingolſtadio auocaret.

Edidit quædam typis in lucem.

NEQVE ſolùm prædictis claruit dignitatibus, ſed & ſcriptis Theologicis in lucem emiſſis nomen ſuum poſteritati commendauit. Fuit enim vir acris ingenij,multæque in ſacra ſcriptura lectionis, & Orator non indiſertus, nec iniucundus: Scripſit autem,quę ad noſtram peruenerunt notitiam,de vera ſtudendi ſacræ Theologiæ ratione libros tres, & Septem Pſalmos Pœnitentiales commentarijs non indoctis, vt alij iudicant,illuſtrauit. Facultas Theologica eiuſmodi monumentum illi in ſua Schola ſcribi curauit.

Monumentum eius in Schola Theologica.

OSVALDVS Arnſperger Nariſcus,artium & Theologiæ Doctor & Profeſſor, Paſtor ad D. Virginem,qui ſummis in Academia Ingolſtadiana, Rectoris, Decani,& Procancellarij honoribus functus eſt: Idq; dignitatis,ſtrepente etiā belli Schmalcaldici tumultu,obtinuit,in quo tantùm

tùm

tùm abeſt, patientiſſimum virum, qui præſidiarios in domo Parochiali alebat, frangi aut terreri, vt perpetuò ardentiſſimis precibus pro pietate, aris & focis vota faceret. Tunc eius fama ad alios perlata, deinceps commercium nobis inuidit. Friſingæ igitur Suffraganeus optimi Exempli, plenus dierum, vitam cum morte commutauit Anno M.D.LXVIII.

Moritur.

CLAVDIVS GAYVS.

CLAVDIVM Gayum Allobrogen fuiſſe, & Doctorem ac Profeſſorem, & de Societate Ieſu, teſtatur monumentum, quod illi in Schola ſua poſuêre Theologi, quorum teſtimonium tanti apud me eſt, vt omnibus actis, & ſcriptis anteferam.

Theologus Societatis Ieſu.

PLACIDISSIMORVM perhibetur morum fuiſſe, vt qui non eruditione ſolùm excelluerit, ſed & pietate, & cum pietate doctrinam, & cum doctrina parem coniunxerit pietatem, atq; adeò, vt ſi quiſquam alius in noſtra Academia, certè ille cùm apud infimos medioſque, tum etiam ſummos & prudentiſſimos certã quaſi ſanctitatis opinionem ſibi comparârit.

Vir Sanctitate vitæ & doctrina venerandus.

FACTVS eſt omnibus omnia, iuxta D. Paulum, omnibus ſalutaris & charus. Vnus ex illis primis decem fuit, qui SS. Societatis Ieſu autores & fundatores extiterunt: Venit Ingolſtadium anno 1548. & intra primum annum abijt, hinc euocatus Viennam Auſtriæ: ad ea quæ ſemper in pectore tenuit & ob oculos habuit, æterna migrauit gaudia, Anno ſalutis humanæ M.D.LII.

Vnus ex illis primis SS Societatis Ieſu autoribus & fundatoribus.

Obijt Viennæ Auſtriæ.

GRANDÆVÆ hunc virum ętatis fuiſſe auguror, quan-

quam in Actis Theologorum fiat Claudij Gaij menio, sine vllo Epitheto, anno 43.

Viue senex, & viue Deo, qui viuere mundo
Dedignatus eras, vt posses viuere Christo.
Vera hæc vita hominis; rutilum super æthera Diuis
Misceri, aspectuq; Dei sua lumina pasci.

BALTHASAR FANNENMAN.

DE Balthasare Fannenman pauca, quæ dicam, habeo, tum quia exiguo temporis spacio apud Ingolstadienses commoratus est, tum quòd præter vnam Michaelis VVagner promotionem, quæ ab ipso administrata est, nihil aliud in Acta de eo relatū est, neq; quicquā etiam alij annotârunt. Fuit autem Episcopus Misiensis, & Suffraganeus Hildesheimēsis, Ordinis Prædicatorum, & S. Theologiæ Doctor ac Professor. Successit in Procancellariatu, & lectione Domino Marstallero, anno 48. quo Ingolstadium venerat, & solus tum erat Professor, cùm & M. Michaël VVagnerus iam iam inaugurandus esset, & alij ex Italia expectarētur Theologi, id est, Reuerendi Patres de Societate. Mauritianæ quoq; Parochiæ per biennium præfuit: Auocatur tandem Moguntiam; quæ omnia ex Epitaphio, quod illi in Schola sua statuêre Theologi, vberius intelligi possunt, idq; tale est:

Fuit Episcopus Misiensis & Suffraganeus Hildesheimensis, Ordinis Prædicatorum.

S. Theologiæ Doctor & Professor.

Procancellarius & Parochus ad S. Mauritium.

BALTHASAR Fannenman Ordinis Prædicatorū, SS. Theologiæ Doctor, cùm Cathedram sacram aliquot annis hîc rexisset, nec non Scholæ nostræ Vicecancellarius extitisset, & D. Mauritij Pastor oues suas verbo Dei pauisset, rebus suis aliter consulens, ad officium Suffraganei

Metro-

Metropolitanæ Ecclesiæ Moguntinensis se cōtulit, vbi sacras cæremonias, consecrationes, & alios pios ritus fœliciter obeundo, ex hac vita ad immortalem translatus est.

Fit Suffraganeus Moguntinensis.

QVANDO sit mortuus, ignoratur. Pulsum autem ego Hildesheimio arbitror, feruente adhuc Lutheranismo; alioquin conditionem & locum mutare vix illi concessum fuisset.

MICHAEL VVAGNER.

ACADEMIA nostra non eruditionem solùm, bonos mores, & nominis celebritatem, sed etiam dignitates & opes contribuit, cùm multos Theologiæ Studiosos (nam de Iurisconsultis pòst dicam) & insigni scientiarum cognitione, & scholasticis titulis hactenus ornârit, tum etiam aliis pulcherrimum Ecclesiastæ munus, aliis præbendas, & Canonicatus pepererit; alij, ex eadem progressi officina, ad Abbatias, & Præposituras, Suffraganeatus, Episcopatus, & Archiepiscopatus conscenderint, adeò, vt emergendi quasi officina quædam, & eiusmodi hominum fabrica possint dici Academiæ. Et certè omnes illi magnam suorum honorum partem Academijs debent, cùm ij ipsi tantùm, qui bene sunt morati, sunt eruditi, sunt in rebus agendis industrij, ad eiusmodi officia dignè queant promoueri.

Ex HAC nostræ Academiæ officina, tanquam ex quodam equo Troiano, prodière omnes, qui vel hactenus à me numerati (quanquam vnus & alter, tanquam canis alienus, matri suæ ingrati extiterunt) vel à matricula Vniuersitatis nominantur, aut qui in posterum à me in-

Philoſophiæ & Theologiæ Doctor ac Profeſſor.

aciem producentur. Atq; etiam hic ipſe Michaël VVagner Rhetus, Philoſophiæ & S. Theologiæ Doctor & Profeſſor, & Eccleſiæ Friſingenſis Canonicus &c. omnia ſua incrementa noſtræ debet Academiæ, gradus & dignitates tam Philoſophicas, quàm Theologicas, Magiſterium, Rectoratum, Vicerectoratum, Decanatū tam in Philoſophico, quàm Theologico Collegio: Deniq; ipſum in Cathedrali Eccleſia Friſingenſi Canonicatum. Tantus enim vir ille euaſit, tantiq; factus eſt nominis, vt, dum Profeſſoris Theologici munus obiret, Canonici Friſingenſes ſuo aſſcriberent Catalogo, fœlices tum temporis ſe rati, ſi eiuſmodi inter ſe luceret, totumq; cætum illuſtraret, lumen. Atq; ita pedetentim ab imis ad ſuperiora progreſſus eſt.

Fuit Rector, Vicerector, & Decanus.

Factus eſt Canonicus Friſingenſis.

DOCTORATVS inſignia recepit anno Domini 1548. die 30. Auguſti, Promotore Balthaſaro Fānemanno, &c. Profeſſore, Procancellario, & Suffraganeo Hildesheimenſi. Parochus apud D. Mauritium conſtitutus eſt, quinquageſimo ſexto. Tandem cùm feſſus laboribus, ſenioq;, quieti ſeſe tradere conſtituiſſet, & mundo valedicere, ſoliq; Deo vellet ſeruire, Friſingam ad Canonicatum abijt, & ibidem anno 1565. in Chriſto piè obdormiuit. Statuit ei amoris & memoriæ ergô Facultas Theologica in ſuo Auditorio monumentum, quod eiuſmodi eſt.

Fit Parochus ad S. Mauritium.

Obijt Friſingæ.

Monumentum eius in Schola Theologica.

MICHAEL VVagnerus Rhetus, artium & SS. Theologiæ Doctor, multis annis dextrè & cum fructu legendo ſacræ præfuit Cathedræ, nec non Paſtor ad D. Mauritium fortiter oues, ne lupis prædæ eſſent tutatus, tandem cùm partim valetudinis, & ætatis, partim memoriæ deficientis incommoda ſentiret, relicta & Profeſſione, & Parochia, ad Canonicatum ſummæ Eccleſiæ Friſingenſis ſe contulit, vbi quieti conſulendo, & meditationibus pijs

vacando,

vacando, ad exitum vitæ perdurauit; Obiit anno Christi incarnati, M. D. LXV. in summo ibidem Templo tumulatus.

ALPHONSVS SALMERON.

ALPHONSVS ille Salmeron Hispanus D. Theologus, vnus fuit ex primis Decem Societatis IESV Patribus, q̃ vnà cũ Claudio Gayo Allobroge, ac Petro Canisio Belga, Doctoribus Theologis, Anno Domini 1548. ad Academiam nostram venit, publiceq; SS. Theologiam legit; Sed aliò vocatus, intra primum abijt annum. Quanta verò huius tam excellentis viri sit eruditio, & dicendi flumen, ex illo facilè apparet, quòd Venetijs, cum ampla rerum & verborum vbertate, ac singulari eruditione in Ecclesia, de verbo Dei concionaretur; alter verò illius collega D. Iacobus Lainetz & doctè & dilucidè, sed magis accõmodatè ad popularẽ intelligentiam; magnus vterq; meritò fuerit æstimatus atq; in pretio habitus; adeò vt in prouerbium illis abierit, à Lainetzio splendida Christianis auditoribus exhiberi conuiuia, & in iis fercula suauitèr condita, & bene concisa ac præparata simùl apponi; ab Alphonso autẽ conuiuia perquàm magnificè ac splendidè ornari, eaq; non ad cuiusuis gustum communem institui, neq; sine aliquo labore à quouis degustari posse.

Vnus ex primis decem Societatis Iesu Patribus.

Fit Theologiæ Professor.

Comparatio P. Lainetzij & P. Alphonsi.

Insignis Cõcionator.

FVERVNT insuper hi duo ex primis Theologis in Cõcilio Tridentino, Viri longè doctissimi, cuius rei peramplum & graue testimonium hîc adferre libet; Cùm enim Leinetz ille suam aliquando sententiam in Concilio esset dicturus, grauiter exorsus est, nullum à se Patrem atq; Docto-

Vnus ex primis Theologicis Concilij Tridentini.

Doctorem Ecclesiæ Catholicæ allegatum iri, nisi quem integrum iam cùm legisset: multis deinde citatis, S. Augustino, S. Ambrosio, S. Hieronymo, aliisq; clarissimis Ecclesiæ luminibus, allegauit tandem etiam Tostatum Abulensem, admirabilem illum tot grandium librorum scriptorem. Hoc profectò omnes Oecumenici Concilij Patres summè fuerunt admirati, quòd vnus scilicet homo tantæ & tam abundantis esset lectionis. Viuit ille Salmeron prouectioris iam ætatis etiamnunc hoc anno 1581. in Regno Neapolitano, & Ecclesiæ Catholicæ salutarem nauat operam.

D. Salmeron viuit adhuc in Regno Neapolitano.

PETRVS CANISIVS.

IN DESCRIPTIONE Domini Balthasaris Fannenmanni dictum est anno Domini 1548, Cùm reformatio ab Illustrissimo Principe Alberto Quinto, in Schola fieret, vnum tantùm fuisse eo tempore Theologum, Dominum Fannemannū, expectatos autē alios Theologos ex Italia. Mea opinione illi ipsi fuêre expectati Reuerendi Patres de Societate Iesu, qui secundo anno pòst, hoc est, 50. ab Illustrissimo Principe Alberto, mortuo parente anno 49. petiti & vocati Ingolstadium aduenerunt.

Quo anno Patres Societatis Iesu Ingolstadium venerint.

INTER primos autem fuerunt Theologi Reuerendus Pater Petrus Canisius Nouiomagus, & Nicolaus Gaudanus, Doctores Theologi & Professores. Quorum aduentu, reliquis Theologis suam conferentibus operam, Domino VVagnero & Domino Theandro, & quasi coniunctis viribus vnum omnibus enitentibus, quantum S. Theologia caput extulerit, nec possum, nec volo dicere, cùm nec priora dormitârint tempora.

Hoc

Hoc tamen, citra veterum Doctorum, atq; etiam ipsius Domini Eccij, Theologi & doctissimi, & in disputando, religionemq; propugnando fœlicissimi & fortissimi Hectoris, iniuriam facilè affirmâro, longè & elegãtius, politiusq;, & compẽdiosius nunc penè omnes tradi doceriq; literas, quàm apud maiores nostros fieri est solitum. Id q̃ ego seculi potius illius barbariei, quæ in omnes sciẽtias vim suam exeruit, quàm ipsis Doctoribus, quos acutè, subtiliter & doctè scripsisse & disputasse constat, tribuo.

Hoc itidem sine iactantia dixero, nostram Scholam nulli alteri Germaniæ Academiæ, quantum ad Theologos attinet (nam de reliquarum Facultatum Doctoribus nunc non ago, dicturus de ijsdẽ postea) facilè cessurã, tum eorum ratione, qui iam olim docuêre, & partim diem vitæ suæ clausêre supremum, partim adhuc in Ecclesię & religionis Catholicę incolumitatem & singulare ornamentum viuunt, tum etiam (absit & inuidia, & adulatio dicto) adhuc docent.

Ingolstadiensis Academia semper habuit Theologos clarissimos.

SED ad propositum, & incomparabilem virum, Petrum Canisium diuerto, cui tamen Encomiasticum minimè polliceor, sed id tãtùm prę̃stiturum, vt eum obliuione apud posteros vindicem, & is qualemcunque inter Theologos possit habere locum: Dicam tamen, quod sentio: Vir est diuini propemodum ingenij, & eruditionis incomparabilis, Philosophus eximius (quod illi penè cum omnibus Patribus de Societate cõmune est) Theologus ꝓfundus, & lectionis infinitæ, quod cum plurimis, sed quod illi neq; omnino cum multis, neq; omnino paucis est cõmune, Orator valde eloquens, Ecclesiastes pariter grauis & iucundus.

PROBAVIT & eruditionem suam, & eloquentiam, & in dicendo prudentiam (nanq; eloquentia sine prudentia

Mirificæ P. Canisij dotes.

& eruditione est inanis garrulitas) sæpius Illustrissimo Duci Bauariæ Alberto Quinto, cui iure suo & merito semper fuit gratissimus; tum etiam multis annis Ecclesiæ & vrbi Augustanæ, vnde discedens tanquam sui amoris quoddam pignus reliquit, Dominum Gregorium Rosetum. Quorum vterq; quid inter medios hæreticos profecerint, quantum religionem promouerint, ipsi Templi summi parietes etiamnum testantur, qui auditores concionum vix possunt capere. Dominus Gregorius adhuc magna cum nobilissimorũ virorum frequentia & applausu, maximo verò hæresiarcharum cum dolore, concionatur.

Alberto Duci Bauariæ semper fuit gratissimus.

Concionator insignis.

NOSTRI quoq;, si qui Schmalcaldicũ recordãtur bellum, Dominũ Canisium in Templo D. Crucis extra portam, antequàm deiiceretur, concionari meminerunt; sed nec ipsius, nec Societatis nomen tum innotuerat. Rectoratus dignitatem gessit, anno 49, quod officium ex Patribus, cùm ipsimet, quàm res incommoda esset Societati, publicis distrahi negotiis, intelligerent, vltroq; sese publicis abdicarent muniis, pòst est impositum nulli. Procancellarei officio, semel atq; iterum, digresso Fannemanno, ex delegatione Reuerendissimi & Illustrissimi Principis Aichstadiani, & commissione est perfunctus.

Rector Academicus fuit.

Procancellarij officio etiam perfunctus est.

QVANTVM itidem Ecclesiæ & religioni suis pulcherrimis libris præstiterit, totus penè Christianus nouit orbis, nec ignorant hæretici. Scripsit egregios libellos precarios, ad pietatem & deuotionem excitãdam aptissimos: Item Martyrologiũ: Inter omnia verò eius scripta, primas facilè obtinent, liber de D. Maria Virgine, D. Ioanne Baptista, contra Magdeburgenses, & Catechismus.

Scripta & libri Patris Canisij.

IN EO deniq; pietatis & eruditionis, vitæq; integritatis, omnisq; virtutum generis, quæ in eiusmodi virum

Pietas & eruditio.

cadere solent, quæ Ecclesiasticos ornant & commendant, illustre statuimus exemplum. Et quanquam iam laboribus exhaustus, senioq; fessus, quieti sese tradidit; illud tamẽ de eo verè dici à me potest, quod Scipionem Aphricanum de se dicere solitum scribit Cicero, quòd nunquam sit minus otiosus, quàm cùm est otiosus, minus solus, quàm cùm solus est, minus deniq; quietus, quàm cùm maximè quieti sese tradidit. Nam & in otio, & quiete de Ecclesiæ Dei negotijs, & religione Catholica apud se cogitat, & in solitudine secum ipse loquitur.

Bene meretur de Ecclesia Dei.

DEVS Opt. Max. tantum virum, tam fortem Ecclesiæ suæ propugnatorem, tam bene de religione meritum, Lumen deniq; Doctorum Ecclesiasticorũ amplissimum & clarissimum, quàm diutissimè seruet incolumem, & post hanc vitam, pro exantlatis eius in Ecclesiæ & religionis incolumitatem & incrementum laboribus, æternam illi æternæ vitæ coronam benignè largiri dignetur.

NICOLAVS GAVDANVS.

Legatus Imperatoris.

VNO ET eodem anno, paucis intercessis diebus, ad Academiam accessit Nicolaus Gaudanus, de Societate Iesu, Doctor Theologus, Legatus in Comitijs, Collega D. Petri Canisij & VVormatiensibus Imperatoriis: Qui quidem, quantus vir fuerit, etsi vnum mihi Imperatoris Ferdinandi primi, qui eius opera potissimùm vti voluit, ad cuius etiam petitionem anno 1552. Ingolstadio Viennam abijt, de eo iudicium sufficeret; tamen & Facultatis Theologicæ testimonium, quod illi in sua Schola Ingolstadij constituit, placet adscribere:

Monumentum in Schola Theologica.

NICOLAVS Gaudanus Doctor Theologus, Reuerendæ Societatis Iesu; Vir fuit summæ moderationis, & qui cæteris viuendi norma rectissima præluxit. Hic, vt consuleret profectui iuuenum, Ethica Theologicis iunxit, & fontes actionum moralium, & politicarum ex sacris literis deprompsit. In quibus omnibus, cùm fructus auditoribus ter maximos attulisset, & innumeros humanitate, & dexteritate docendi inuitasset, Viennam Austriæ sub obedientia concessit, atq; inde legatus Imperatorius VVormatiam ad Comitia cùm se contulisset, ibi precibus Louaniensium Theologorum euictus, consensu Superioris, Louanium abijt, Vbi posteaquàm annos aliquot auctam religionem strenuè propugnasset, è viuis, omnibus Ecclesiæ Sacramentis ritè susceptis, excessit, Anno M.D.LX.

Louanij obijt.

PRIMVS inter eos fuisse perhibetur, qui Societatem Iesu recens institutam sunt ingressi.

GEORGIVS THEANDER.

Fuit Rector, Decanus & Philosophicæ, &. Theologicæ Facultatis, Procancellarius & Parochus Academicus.

GEORGIVS Theander, aliâs Gotzman, Aubingensis, Boius omnem suam ætatem in nostra consumpsit Academia, cui proinde vni suos debet honores, & incrementa omnia: A minimis ad maxima penè omnia, quæ nostra Schola habet, est progressus fœliciter, omnibusq; perfunctus est honoribus, Decanatu sc. tam Philosophico, quàm Theologico, Vicecancellariatu, dignitate Parochiali, Professoria & Senatoria.

IN Parochia diuæ Virginis primò Cooperatoris, seu Sacellarij, deinde, anno 1548. digresso Domino Arenspergero,

ſpergero, Parochi functus eſt officio. Anno verò 53. defuncto VVolffio in Viceancellariatu ſucceſſit, adeò vt ſimul & ſemel Rectoratum, Vicecancellariatum, Profeſſionem Theologicam, & Parochiam adminiſtraret. Reſignauit Parochiæ adminiſtrationem Anno 62. & Profeſſionis ac Vicecancellariatus munere, exiguaq; apud Ingolſtadienſes prębenda contentus, reliquum ſuæ vitæ curſum abſoluit.

DOCVIT Theologiã ab anno 54. quo tempore Doctoralibus eſt auctus inſignijs, cùm iam tum Procancellarius eſſet conſtitutus, vſq; ad annum 70. Memoriæ tam fœlicis fuit, vt quotieſcunq; illi eſſet perorandum, id memoriter, nullo omnino ſcripto in ſubſidium adhibito, ſumma omnium cum admiratione faceret, etiam anguſtiſſimo quandoq; ad cogitandum faciendumq;, nedum memorandum ſpatio temporis relicto.

Felicis fuit memoriæ.

CVM ad iuſtam perueniſſet ſenectutem, ecce in apoplexiam ita grauem incidit, vt & rationis, & ſermonis vſu priuaretur. Verùm labenti tempore, diligenti, fœliciq; Medicorum cura, & accurata diæta valetudini priſtinæ ita reſtitutus eſt, vt & abolitum penè rationis & ſermonis vſum, (quanquam ab initio confuſus, & intellectu difficilis erat: Viſa enim & audita refero) & memoriam vehementer labefactatam recuperaret, priſtinis iterum fungeretur muneribus, cathedram aſſcenderet, ex ea doceret, diſputaret, peroraret, Candidatis Scholaſticos honores conferret, & Senatum ingrederetur. Quicquid vel ex profeſſione, vel prębendis, vltra quotidianum vſum, vitæque neceſſaria, erat pecuniarum illi reſiduum, id partim in ſuos cognatos, affines & amiculos conferebat, partim Bibliothecæ ſuæ augendæ, locupletandæq; impendebat, parum de accruando theſauro ſollicitus, Bibliothecam

Legauit Bibliothecam Collegio Georgiano. abundè ſatis pro Theologo inſtructam Collegio Georgiano legauit. Magnæ fuit lectionis, in conuerſationibus & colloquijs, vt minimè mutus, ita doctus, humanus & iucundus: Id quod in perorando ſingulariter elucebat.

VSVS eſt eius opera Sereniſſimus Princeps Albertus Quintus in Viſitatione ſuæ Bauariæ, de qua re in Annalibus noſtris anno 58. Scripſit, vt arbitror, in aliquot Pſalmos Dauidis commẽtarios. Obijt tandem plenus dierum, anno 70. Sepultus apud D. Virginem in Sacello trium regum cum eiuſmodi Epitaphio:

Epitaphium D. Georgij Theandri. GEORGIVS Theander Aubingenſis Bauarus, Artium & SS. Theologiæ Doctor, vir incomparabilis memoriæ, cùm in hac Schola Rectoris, Procancellarij, Paſtoris & Profeſſoris munere vltra 20. annos ſumma cum laude functus eſſet, piè & placidè, annos 62. egreſſus, in Chriſto obdormiuit, pridie Sebaſt. Martyris. Honorificũ quoq; monumentum, & quaſi teſtimonium habet idem Theander in Schola Theologorum, quod eſt eiuſmodi: Monumentum eius in Schola Theologorum. Georgius Theander, vulgò Gotzman, Aubingenſis Vindelicus, artium & Theologiæ Doctor, Vicecancellarius & Canonicus Aichſtadianus, ſua eademq; tenui ſorte contentus vixit, cui cùm optio benignioris fortunæ & conditionis lautioris ſæpe offerretur, maluit frugalis vir in Schola cum literatis modico contentus degere, quàm inuita Minerua aliena ſectari ſtudia, claruit his eximijs dotibus. Nam prçterquàm Theologus acutus, ita ingenium habuit in numerato, vt quacunque de re ex tempore ferè diſertè verba faceret, memoriter cuncta ad admirationẽ vſq; pandendo: quæ quidem dona multis negata, viro infinitæ lectionis decus perenne & nomen immortale pepererunt. Ex hac Schola ad cœleſtem translatus eſt, Anno M. D. LXX. Die XIX. Ianuarij.

IOAN-

IOANNES CVVILLONIVS.

INTER primos de Societate IESV Patres, qui ad docendum sunt euocati Ingolstadiū, fuit etiam vnus Reuerēdus Pater Ioanes Cuuillonius Insulensis Flander, Doctor Theologus & Professor, anno 1556. à Magnifico Rectore, D. Ioannne Baptista VVeber, Iuris vtriusq; Doctore, & Professore Institutionum ordinario, in mense Iulio inscriptus, & eodem anno post discessum D. Canisij & D. Gaudani, vnà cum Hermanno Tyrræo, iussu Serenissimi Principis in Facultatem Theologicam receptus, profiteri cœpit. Functus igitur aliquoties Decanatu Theologico (nam à Rectoratu gerendo Patres de Societate certis de causis, consentiente & Serenissimo Principe & Vniuersitate, sese abdicarunt) & posteaquàm tam docendo, quàm disputando indefessè suam operam præstiterat Academiæ, Anno Domini 1562 ad petitionem Reuerendissimi in Christo Patris ac Domini Zachariæ Delphini, Legati Apostolici, nomine Serenissimi Boiorum Ducis Alberti, legato illius destinato adiunctus, & ad concilium Tridentinum profecturus, lectionem deseruit, qui postmodum per aliquod tempus, Dilingæ, Romæ & in Gallia uersatus, multis etiam periculis in Lusitania exhaustis, hac æstate Anno 1581. Romæ piè in Christo animam efflauit.

Fit Professor Theologus.

Proficiscitur ad Consilium Tridentinum.

Obijt Romæ.

HERMANNVS TYRRÆVS.

HERMANNVS Tirræus Nouesiensis Belga, Doctor Theologus, in Mense Iulio Anno 1556 vnà cum M. Tho-

Thoma Lentulio Nouiomagensi, Theologo Societatis Iesu,& Collegij Rectore Ioanne Cauillonio Itsulesi, Doctore Theologo,ac M. Theodoro, Antonio Peltano, ad Academiam nostram venit, & sub Rectoratu Magnifici D. Ioannis Baptistæ VVeberi I.V. Doctoris ac Professoris, qui postea Maximiliani II. Imperatoris Procancellarium egit, Vniuersitatis Matriculæ inscriptus, & vnà cum Domino Cauillonio in Facultatem Theologicam susceptus, inchoauit profiteri: Qui non solùm publicè docendo, verùm etiam valde piè concionando Ingolstadij in æde S. Sebastiani iuxta agrum Dei auditoribus fuit gratissimus. Ille Anno Domini 1562. Collegij Treuirensis Rector factus, discessit, & ab eo anno ad præsens vsq; tempus in diuersis Collegijs ad Rhenum vigilantissimus fuit Rector,& insuper Prouincialem egit. Eius iterum locũ in Theologica Facultate occupauit D. Theodorus Pellanus.

Fit Professor.

Prouincialis & Rector in diuersis Collegijs ad Rhenum.

ALPHONSVS PISANVS.

ALPHONSVS Pisanus, natione Hispanus, Patria verò Toletanus, Societatis Iesu Collega. Aduenit ad nostram Academiam anno Domini 1559, mense Nouembri, illicò numero Professorum, cùm iam antea Theologiæ Doctor esset, adscriptus. Dedit operam aliquando Medicinæ,& in ea gradum Licentiatus est adeptus: Quo verò id contigerit tempore, non habeo.

S. Theologiæ Doctor, & Medicinæ Licentiatus.

EST mediocris corporis staturæ, sed ingenij maximi & nobilissimi; adeò vt quod de apibus Latinus Poëta cecinit, de eo quoq; possit dici rectissimè.

Ingentes

Ingentes animos angusto in pectore versat.

Vocem habet exilem, sed eam vocalem & suauem; adeò vt in conuersationibus semper omnibus gratus existeret. Singularem suam eruditionem in docendo, & quantus esset Philosophus, quàm profundus & acutus Theologus disputando, aliquot annis, ad stuporem etiam auditorum, nostræ probauit Academiæ. Nunc temporis apud Transyluanos Vngariæ vitam agit, plenus, vt arbitror, dierum, laboribus & diuturno exhaustus studio.

Iam apud Transyluanos vitam agit.

Dij tibi dent latos annos, facilemq; senectam,
O venerande Senex: & iam nunc parce labori.
Nam satis esse datum Fidei, afflictæq; Sioni
Credimus: Oppressas quia quantum Ecclesia vires
Auxilio vestro extulerit, quis fando, quis omnes
Explicet exhaustos æquè túe canendo labores?
Viue valeq; Pater, meritis, pietate, fideq;
Ingenioq; potens: cum Spiritus exuet artus
Te rutilis quondam summus Deus inserat astris.

THEODORVS PELTANVS.

THEODORVS Antonius Peltanus, ex inferiore Germania oriundus, Societatis Iesu &c. anno domini 1556. cum alijs quibusdam Patribus de Societate Iesu, nempe Thoma Lentulio, Nouiomagensi, Ioanne Cuuillonio, Insulensi, & Hermanno Tirræo, Nouesiensi, Doctoribus Theologis, mense Augusto ad nostram accedit Academiam, & Græcæ, Hæbraicæq; literaturæ Professor Ordinarius cõstituitur. In Theologia omnes gradus, tam Baccalaureatus, quàm supremos est adeptus. Anno domini 1562.

Fuit hic Græcæ Hebraicæq; literaturæ Professor Ordinarius.

ni 1562. mense Aprili, Doctoralia recipit insignia, & in lectione Theologica, Domino Cuuillonio, qui ad Concilium Tridentinum proficiscebatur, succedit.

Fit Professor Theologiæ.

SI quis, vel propter ingenij rotunditatem & acumen, vel in disputando, tam in Philosophica, quàm Theologica arena subtilitatem & promptitudinem, meretur laudem, certè ille amplissimis dignus est Encomijs; vt interim linguarum cognitionē, quam publicis scriptis & versionibus seu translationibus, & aptissimis, & ornatissimis toti Ecclesiæ iam fecit testatam, silentio prætercam.

Multos præclaros libros in lucem edidit.

ATQVE singularis illa tanti Theologi eruditio eô maiori debet omnibus esse admirationi, quò seriùs ad literarum Studia fertur accessisse; adeò vt penè sit præter fidem, tot autores in omni scientiarum genere ab illo esse perlustratos. Multas profectò ab illo vigilatas oportet fuisse noctes, nec multum temporis, vel diurno somno, vel alijs recreationibus contributum, in quo lineam nullam duxerit, est credibile. Verùm labor improbus omnia vincit. Docuit Theologiam ab anno 62. vsq; ad annū 74. vt arbitror, frequentibus in materia Theologica disputationibus habitis. Secessit posteà Augustam, vt se quieti traderet, quæ etiamnum eiusmodi est, vt cum summa totius Ecclesiæ, & Religionis Catholicæ vtilitate sit coniuncta.

Iam Augustæ vindelicorum commoratur.

PRÆTER multas, easq; de diuersis in Theologia materijs & controuersijs Theses doctissimas, quas in Schola nostra Dominus Peltanus & defendit publicè, & typis euulgari, vt ab exteris quoq; legerentur, curauit: Cōgessit nuper ex diuersis autoribus Græcis, & in pulcherrimum ordinem redegit Concilium Ephesinum antea lacerum, discerptū & sparsum, nec vnquam vno in corpore, multò minus donatum latinitate, visum; Scripsit item de Satisfa-

ctione

ctione Christi & nostra: de peccato Originali, de Purgatorio: Decem & septem declamationes Græcorum in latinum transtulit: Et similiter victorem Antiochenum in Marcum & Titum: præterea Titum Bosturum Episcopũ in Lucã. Deniq; de Eleemosyna, Ieiunio, & Oratione & doctè, & copiosè scripsit. Nec dum sanè ocio datum feriari arbitror.

Sat tibi iam multa vigilatæ ad sydera noctes
Satq́; laborati rapido sub tramite cancri
Sunt Peltane dies: alijs sed lampada cursu
Trade & in optata tandem te pace repone,
Et soli seruire Deo sit summa voluptas,
Omnibus abiectis curis: huic cætera nanq;
Relligioq́; Patrum fuerit, cultusq́; Deorum,
Aræ cum Templis, & tota Ecclesia curæ.

FRIDERICVS STAPHYLVS.

NOLIM hîc quenquam Panegyricum à me expectare, cùm nec eius ingenij sim, vt tale quid de me polliceri ausim, nec instituti mei ratio ferat, vt singulas singulorum Professorum virtutes iusta oratione prosequar: sed satis mihi fuerit, rudi tantùm delineare calamo.

FRIDERICVS Staphylus, natione Germanus, patria VVestphalus, ex oppido Osnaburgo, quod est Episcopi Osnaburgensis, nascitur anno domini 1512. die 27. Augusti, ex claris & honoratis Parentibus. Pater Ludouicus Staphylus (Ludecken Stapellage, patrio & antiquo Saxonũ idiomate, dictus) Dominorũ de VVesterholden, q primas ferè in nobilitate VVestphalica tenent, per om-

Vita Staphyli.

Pater Staphyli.

nem castrorum eorundem ambitum Præfectus fuit: tandem Brunonis Episcopi Osnaburgensis Granarij factus magister, ibidemq; mortuus est.

Mater eiusdem.

MATER erat Anna ex celeberrimo Prussiæ emporio Dantisco seu Gedano oriunda; consulari Birckmannorum familia prognata. Amisit Dominus Staphylus vtrūq; Parentem vix duodecimum ingressus annum, & in tutelam Auunculi Eberhardi Birckmanni, viri consularis Gedani concessit.

Staphylus longas peregrinationes conficit, & florentissimas Academias inuisit.

DOMI cùm non infœlices in honestis literis fecisset profectus, post longam peregrinationem, quam partim in Holandia, partim in Saxonia maritima, Prussia, & Lituania cōfecerat, Vacouiam, & pòst florentissimas quasq; Italiæ, & Gallię Academias studiorum causa inuisit. Tandem Vitenbergam fama per id tempus, propter quosdam in religione nouatores, celeberrimam deuenit: vbi penè per decennium honestè, magnaq; cum literatorum admiratione vixerat.

CÆTERVM quia Dux Prussiæ Albertus, posteaquàm viri illius nomen factum esset celeberrimum, frequentibus ad se inuitabat literis, tempore belli Schmalcaldici Vitenberga discedit. Vocabatur autem tum temporis in aulas suas à Reuerendissimis & Illustrissimis Principibus, Domino Francisco Osnaburgensi, Ducibus Brunsvvicensi & Megalopolensi, sed quia Dux Brussiæ iam præuenerat, suam operam illis præstare amplius non potuit. Atq; ita seruitiis prædicti Ducis Prussiæ mancipatus, vxorem ducit Annam, ex Patricia Hessorum familia Vratislaiuæ prognatam, coniugali obseruantia, matronali pudicitia, & viduali pietate præclaram.

In seruitijs Ducis Prussiæ ducit vxorem.

Professor in Academia Regiomontana.

POSTEAQVAM verò in Academia Regiomontana Prussiæ aliquandiu Professor fuisset, nec illi cum cæteris

conuc-

conuenire posset, resq; indies magis, magisq; displiceret, abdicat Professionem, & in Consiliariorum numerum Ducis Prusiæ adscribitur. Frequentes enim illi cum Gulielmo Gnaphæo, acuto quidem & docto, sed partim Anabaptistarum, partim Sacramentariorum errore dementato, cōtentiones erant, illæq; tum molestas, tum varias ei cogitationes de religione pariebant.

Consiliarius Ducis Prusiæ.

INTEREA quoq; Osiander, cùm religionis suæ VVitēbergensis naufragiū fecisset, desertoq; Lutheranismo impiis Manichæi, Nestorijq; dogmatibus subscripsisset, profugus Nornberga, quam non mediocriter perturbârat, Prusiam petiit, & Staphylum tanquàm antagonistam in odiosum & acerrimum pertraxit certamen. Staphylus verò, qui diligenter Lutheranam doctrinam audiuisset, cumq; eorum fundamenta, vt Apostolicum super vtroq; Doctoratu recipiendo loquitur diploma, percepisset, eaq; impia & blasphema esse cognouisset, iam antea hæreticorum errores abominari cæperat, & de castris, terrisq; Lutheranorum ad Catholicos transire cogitârat.

Verba diplomatis Apostolici.

ITAQVE eam occasionem, quam illi Osiandrinæ contentiones amplissimam offerebant, minimè negligēdam arbitratus est, quantumuis cum summa rerum illius iactura fiebat. Est quidam non ineruditus vir, qui eius transitus ad Catholicos tres causas describit. Et prima quidē ab eo cōstituitur, Deus, qui omnis boni fons & origo, qui cunctantem non aliter, quàm Æneam apud Vergilium Mercurius, tacitè semper instigârit, admonueritq;. Altera eorum omnium, qui professi Lutheri dogmata, & ex eiusdem progressi officina, verum sibi ac purum vendicabant Euangelium, continuæ inter sese contentiones, dissensiones, & in diuersissimas opiniones scissiones, preterquā quod & ipse partim à Gnaphæo, partim ab Osi-

Causæ transitus ad Catholicos.

andro, atq; etiam Funckio quodam ſubinde impeteretur, exagitareturque. Tertia denique, quòd cùm & Lutheri, & Melanchthonis diſcipulus, anteſignani, & præceptoris ſui doctrinæ corpus pararet, eamq; cum ſanctorum Patrum doctrina accuratè conferret, tantum eos à ſanctis Patribus diſtare deprehendit, quantum cœlum à terra. Quamobrem ſibi cum Loth eiuſque filiabus è Sodoma exeundum cenſuit, & nihil, niſi de tranſmigratione ad Catholicos, cogitauit.

Tranſit in Sileſiam.

QVOD ipſum poſteaquàm Reuerendiſſimus in Chriſto Pater, ac Dominus Balthaſar Epiſcopus Vratiſlauienſis intellexiſſet, Niſſam eum literis euocat. Impetrata igitur à Duce Pruſſiæ, quanquam difficulter, diſcedendi venia, cum ſuis in Sileſiam tranſit, ſedem ſibi Nyſſæ ac ſujs poſiturus. Ibi cùm Reuerendiſſimo Epiſcopo operam ſuam in erigenda Schola fideliter poſuiſſet, ilico tribus magnis innoteſcit Principibus, Auguſtiſſimo Imperatori Ferdinando Primo, Reuerendiſſimo Archiepiſcopo Saliſbúrgenſi, Michaëli à Khienburg, religionis Catholicæ & literatorum, omniſq; literaturæ amantiſſimo: Sereniſſimo deniq; Boiorum Duci Alberto Quinto, profligatæ ex multis prouinciis religionis aſylo tutiſſimo, fidiſſimoq;,

Fit Conſiliarius Imperatoris Ferdinandi.

PRÆVALVIT inter tantos Patronos Imperator, & Staphylum circa annum 1554 Viennam Auſtriæ vocat, ibiq; Conſiliariorum numero adſcribit. Quæ res cùm per Saxoniam innotuiſſet, dictu mirum, quàm grauiter Doctores Saxonici, & præſertim Melanchthon, qui cum vixerat amiciſſimè, pertulerint.

Colloquio VVormatienſi interfuit.

PAVLO pòſt Colloquium de religione, anno domini 1557, VVormatiæ Vangionū ab Imperatore Ferdinando indicitur. Eò etiam ab Imperatore, vt inter primos eſſet

collo-

colloquentes, destinatur Staphylus, qui cùm videret Augustanæ Confessionis Doctores inter se non posse conuenire, mutuisq; altercationibus tempus colloquendi protrahere, interim Trimembrem suam Theologiam ibidem conscripsit, qua graphicè Sectariorum inter se dissensionem, & sententiarum, opinionumq; confusionem depingit. Id tamen opus in publicum emittere, non erat illi animus, nisi amicorum quorundam voluntati potius, quàm sibimet ipsi paruisset. Prodiit igitur fœliciter in lucem trimembris illa Theologia Staphyli, quæ ita aduersarios exulcerauit, irritauitq;, vt quasi coniurati eum vicissim inuaderent. In quibus facilè primas tenuit Melanchthon, primusq; cum Staphylo congreditur: deinde Illyricus, & Iacobus Andreas Schmidlinus; quibus etiam Andreas Musculus suis sentibus, aculeisq; & calumniis accessit.

Trimembrem Theologiam ibidem conscribit.

EODEM tempore, cùm Staphylus & propriis, & aduersariorum, quos habebat grauissimos, innotuisset scriptis, etiam Serenissimus Boiorum Dux Albertus Quintus eundem summo studio in Consiliariorum suorum numerum adsciuit, vt eius opera in repurganda Bauaria, & religione Catholica tuenda, promouendaq; vteretur. Et sunt sanè, qui eam Visitationem, quæ post à Domino Eisengreinio feliciter est confecta, antè à Staphylo delineatam dicant, sed morte præuentum Staphilum, eam prosequi non potuisse.

Fit Consiliarius Ducis Bauariæ.

ANNO ò verò 1559. cùm ab Imperator Comitia forent apud Augustam Vindelicorũ vindicta, eò & ipse Staphylus ab Imperatore vocatus est, vt in grauissimis de religione consultationibus sua opera vteretur. Vbi etiam defensionem trimembris suæ Theologiæ, contra prædictos aduersarios & calumniatores suos, fœliciter, & Catholicorum magno applausu, edidit.

In Comitijs Augustanis edit defensionem Trimembris Theologiæ.

ficialis Aichſtadianus, & Andreas; Ioannes primùm præterito Anno 1580. in Italia Senis magno tum Fratrum tum Patronorum deſiderio moritur.

STAPHYLVS Ingolſtadij Scholæ Inſpector, ſeu Superintendens à Sereniſsimo Principe conſtituitur. Dicendum mihi nunc eſſet, quot & quàm graues labores cùm in Sereniſsimi noſtri Principis Alberti Quinti, tum etiam Imperatoris ſeruitijs exhauſerit, quàm difficiles, plenasq; periculi peregrinationes, & in diuerſas Romani Imperij prouincias profectiones, per media Hæreticorum agmina, ad Synodos prouinciales, Comitia, Colloquia, Tractatus & Conuentus religionis cauſa inſtitutos, in Eccleſiæ incolumitatem ſubierit, confeceritq;.

Superintendens Scholæ fit.

DICENDVM præterea de incomparabili ipſius animi magnitudine, ac virtutum ornamentis, zelo religionis feruenti, eruditione rara tam in Græcis, Hæbraicis, quàm Latinis literis, indefeſſo in oppugnandis Hæreticis ſtudio, & dexteritate ſingulari, maximo rerum vſu & experientia, denique de admirabili prudentia, grauitateq; cum humanitate coniuncta, niſi & qui in exequijs eiuſdem animæ Orationibus luculentiſsimis litarunt, abundè ſatis, & quidem ampliſsimis verbis præſtitiſſent: & me intra ſeptum & cancellos proprios continere, ingenij mei tenuitas hortaretur.

Virtutes & eruditio Staphyli.

ILLVD tamen ſummi viri, & inuictiſsimi religionis Catholicæ propugnatoris, Reuerendiſsimi & Illuſtriſsimi Principis Stanislai Hoſij Presbyteri Cardinalis, teſtimonium de Staphylo honorificentiſsimum ſilentio præterire non poſſum. Cùm is Nuncium aliquando Pontificium apud Imperatorem Ferdinandum, in primariorum quodam aulicorum conuentu (id Auguſtæ, Anno 1559. factum amanuenſis quidam Staphyli annotauit) ita fertur dixiſ-

Teſtimonium Cardinalis Hoſij de Staphylo.

ſe; Quòd inter omnes eos, qui hactenus Lutheranos impugnârunt ſcriptis, nemo id fœlicius præſtiterit, nec vulnus Lutheranorum, quod adeò conantur tegere, magis detexerit, quàm Staphylus. Cui, cùm inter alios Cæſareos Conſiliarios, qui tum aderat Dominus Gengerus veteranus ille, & clariſsimus Imperatorum Conſiliarius, Ioannem Eccium opponeret, quòd ille idem præſtitiſſet inter omnes fœliciſsimè; Reſpondiſſe dicitur Hoſius, Ecciũ, vt pleroſque alios, collectitio ex Patribus opere, non intellecto ab Hæreticis, vſum eſſe, Staphylum verò illorummet dictis, factis & ſcriptis in contradictionem poſitis, illos planè confundere, vnde ſudes illis eſt in oculis plus, quàm omnes quotquot hactenus contra Lutheranos ſcripſerunt.

Staphylus edit Prodromon, & Hyſterodromon.

SED pergendum ad reliqua, &, quæ ipſius migrationi fuêre propinquiora, ſunt explicanda. Interim dum eſt in ſeruitio Sereniſs. Boiorum Ducis, Prodromon ſcribit Staphylus, Anno *1561.* Poſteà verò Anno *62.* cùm ab Imperatore Pragam accitus eſſet, in ea peregrinatione Hyſterodromon euulgat.

Deſtinatur Cæſareus Legatus ad Concilium Tridentinum.

ANNO Domini *1563.* celebratur Synodus Tridentina, ad eam à Patribus Concilij Staphylus, Lindanus, & Vicelius, tanquam lumina eo tempore religionis Catholicæ in Germania ſingulariter, magnis propoſitis prę mijs, euocãtur, vt ab ijs, qui rerũ Germanicarum, & hæreſum pullulãtium cumprimis eſſent periti, informationem caperent, & de remedijs, quibus & naſcentibus obuiam iretur, & iam dominantibus mederetur, fieret conſultatio. Et iam Staphylum Legatum Cæſareum deſtinârat Imperator, iturusq; erat omnino, niſi Dux Albertus, deſtinatis tum ad Imperatorem, tum etiam Patres Concilij petitorijs literis obtinuiſſet, vt remanere illi liceret. Detinetur

tamen

tamē Staphylus integra ætate à Cæsare, Oeniponte, eiusque opera circa res Concilij vtitur, eæque lucubrationes super plurimas sessiones ad Concilium, nomine Cæsaris compositæ, etiamnum apud hæredes dicuntur latitare.

VERùM dum apud Cæsarem Oeniponti commoratur, morbum, vt videbatur, lætalem incidit, ac proinde testamentum ibidem condidit, subscriptione Imperatoris & diplomate munitum, reuehiturq; Ingolstadium. Et ecce, quod ei grauissimum accidit, eo ipso anno, mense Decembri, fato quodam sinistro accidit, vt filius natu maximus Albertus, quem vnicè charum habebat, & de quo summam frugis eruditionis, & omnis virtutis spem conceperat, Ingolstadij moreretur. Quæ res eum ita perturbauit, vt infirmitatis plurimum pristinæ virium imbecillitati, animiq; ægritudini accederet, & sese Staphylus, tanquam vates quidam, breui moriturum prædiceret: quam rem non ineleganti carmine Poëta quidam expresit:

Incidit in morbum.

Huic, Pater, oppresso morbo grauiore, parato,
Chare mihi, dixit, gnate parato viam.
Tu mihi, sit quonam moriendum pectore, monstras,
Hanc post te ingrediar, quam teris ipse, viam.
Præuius ito, sequar; sequar ò charissime fili,
Tu praeas, dixit, me, sequar ipse breui.

NEC mora; omnia præparat ad mortem, & quidem locum sepulturæ apud Franciscanos sibi primò omnium deligit. Paulò post Anno 1564. mense Ianuario Monacum, solito more in negotijs Ducalibus abit, quibus perfectis redit inde longè infirmior, quàm erat profectus. Dum lecto decumbit affixus, fidelissimo suo famulo, seu amanuensi Domino Prockhelio, instar valedictionis, Germanicum dictat libellum, de vltima defectione intitulatum,

Lecto affixus dictat libellum de vltima defectione.

tulatum, in quo omnes Catholicos piè ac sedulò admonet, hortaturq;, vt ne latum quidem vnguem à Catholica religione discedant: Libellus sanè ille, à pijs omnibus, inter omnia scripta Staphyli, maximè in delitijs habendus, quòd quædam quasi extremi iudicij tuba videatur, qua torpentes excitentur animi, & nutantes confirmentur.

CVM itaq; vires corporis indies magis magisq; labefactari, morbumq; augeri sentiret, ac proinde supremum vitæ diem haud procul abesse intelligeret, primò suæ prouidet domui, omnia ritè disponendo: deinde 26. die Februarij peccata sua per confessionem expiat, & Missam sibi in ædibus celebrari curat, & sese Christi corpore, tanquam inuiolabili & indeficienti cibo ac viatico pascit, munitq;. Secunda verò Martij sacrosancti olei Vnctionē petit & accepit. Habebat autē perpetuò Chtisti Crucifixi imaginem ante oculos sibi positam, quam non fixis tantùm intuebatur oculis, sed etiam oblatam osculis sæpenumero excipiebat. Tandem quinta Martij animam exhalauit, & quod idem dixit Poëta perquàm grauiter.

Piè Staphylus obijt.

Leniter expirans, placidè in Domino obdormiuit.

CONIVNX Anna, posteaquàm suo viduata Staphylo, & ad instar illius Annæ Euangelicæ totos dies templis quasi affixa, assiduos penè fletus, & lachrymas fudisset, vix quadrimestre spacium marito superstes, subsecuta est eundem, relictis tribus filijs impuberibus. Staphylus libros tres de Christiana Republica dicitur tum instituisse, qui si absolui potuissent, procul dubio totum Christianum orbem in sui admirationem & feruentius religionis & pietatis studium conuertissent. Illud etiam addidero, fuisse eundem charissimum & Paulo IIII.

lo IIII. Pontifici & Imperatori, vt cùm Imperator augustissimis duobus diplomatibus antiqua & gentilitia Staphyli insignia, primò tanquam Rex Romanorum, secundò vt Imperator confirmauerit nobilitaueritq́; tum verò Pontifex Comitis & equitis aurati, Palatij Lateranensis dignitatem eidem per Zachariam Delphinum Nuncium Apostolicum, benignè contulerit. Ipsemet sibi Staphylus eiusmodi fecit Epitaphium, quod monumento lapideo apud Franciscanos est insculptum.

Epitaphium Staphyli.

Vixi, fata tuli Staphylus, cursumq́; peregi,
Dum leuo suppressum relligionis opus.
Christe tibi fidens, dimitti crimina credo,
Exilium patriæ spe releuante meæ.
Esto memor fati, fatus tria verba, viator,
Quàm lex certa mori, quàm malè certa dies.

MENSEM, diem, & annum eius natiuitatis hoc disticho comprehendit Vitus Iacobæus, Poësios tum Professor.

Nascitur has Staphylus fragiles mortalis in auras,
Nona ter Augusti lux vbi clausa fuit.

MORTIS verò annum, mensem & diem alio disticho non minus artificiosè idem expressit.

Extinctus fatis Staphylus concesserat arces
Insuperas Martij lux vbi Quinta fuit.

VIXIT Annos L. Menses VI. dies X. Sepultus apud Franciscanos intra cancellos ad manum dextram, versus meridiem. Et hæc de Staphylo.

MARTINVS EISENGREIN.

TERTIVM Academiæ Ingolstadianæ in Theologia lumen iure suo censeri debet & potest, Reue-

Academiæ Ingolstadiensis lumen.

rendus, & Amplissimus vir ac Dominus Martinus Eisengrein, SS. Theologiæ Doctor & Professor, Protonotarius & Comes Palatinus Apostolicus & Cæsareus, Ecclesiarum Cathedralis Patauiensis, & Collegiatæ apud Veterem Oetingam Præpositus, Serenissimo Boiorum Duci Alberto Quinto à consiliis: Academiæ deniq; Ingolstadianæ Superintendens & Procancellarius &c. qui non minus quàm ante ipsum, vel Eccius, vel Staphylus pro Ecclesiæ, religionisq; Catholicæ incolumitate fortiter, aduersùs Hæreticos pugnando militauit, nec tantùm nomen suum, doctissimis, iisq; saluberrimis in re Theologica editis à se libris, toti penè orbi Christiano fecit notum, sed & ab omni obliuione apud posteros vindicauit.

NATUS est in celebri Principis VVirtenbergensis vrbe, sedeq; Ducali Stutgardia, ex nobilibus & opulentis Parentibus, Martino Eisengrein, viro eius vrbis primario & consulari. Perquàm vetus est Eisengreiniorum familia, claruitq; pacis & belli studiis, & sedem in Boiaria primitus habuisse scribitur. Verùm variis fortunæ iactata fluctibus, aliquandiu latuit, donec rursus propria virtute, mutato fortunæ statu, & ad opes & dignitates emersit, & ad eum statum, in quo nunc conspicitur, superis fauentibus peruenit. Sed ad Martinum reuertor, cuius laudes nõ tam in familiæ splendore, quàm propriis virtutibus semper cõstiterunt. Consilio & expensis prudẽtissimi & literarũ amantissimi parentis, literis operam, ac primò quidem domi, intra paternos parietes, deinde Tubingæ, pòst Ingolstadii, vbi anno 1553. in album Vniuersitatis est relatus. Quartò deniq; Viennæ, vbi in Philosophia Magisterij, Anno Domini 1554, assumpsit insignia. Anno verò pòst 1555, cùm ipsius eruditio tam in Philosophia,

Eisengreiniorum familia est perquàm vetus.

Philosophiæ Doctor creatur Viennæ.

phia,

phia, quàm Oratoria non fama tantùm innotuisset, sed etiam re ipsa, id est, frequentibus disputationibus, & orationibus comprobata, Oratorię Professor in celeberrimo Viennensium Archigymnasio constituitur, eaq; cum laude, & auditorum frequentia, & applausu demandata professione est functus, vt inter celebres eius temporis Oratores, in clarissimi viri ac Domini Ederi, LL. Doctoris &c. lucubrationibus sit relatus.

Fit Oratoriæ Professor in Archigymnasio Viennensi.

DABAT tum Eisengreinius Iurisprudentiæ operam, quemadmodum pulcherrima de corrupto Iudiciorum vsu, & Iurisprudentiæ dignitate, in festo D. Iuonis ab eodem Viennæ habita oratio testatur; nec dum, quem puer imbiberat, Lutheranismo nuncium remiserat. Erat autem illi clarissimus vir Dominus Iacobus Ionas, LL. Doctor, & Vicecancellarius Imperatorius, sanguinis vinculo coniunctus: Is pro sua in cognatum, in tam egregium iuuenem, & indolem pulcherrimam pietate, & amore plusquàm paterno, eum continuò sollicitabat, nec vnquam aures illius, nondum ad salutaria obturatas monita, veluti hæreticorum nunc sunt temporis, doctrina Catholica personare destitit, donec voti compos Eisengreinium, erroribus agnitis & repudiatis ad Ecclesiam & religionem Catholicam traduceret. In qua re non mediocrem quoq; conferebant operam Laurentius Zadesius, Decanus Collegij Matickhofensis Boiariæ, & D. Georgius Ederus, Iurisconsultus & Theologus insignis: Itaq; singulari Dei præpotentis beneficio, & præclara Vicecancellarij opera, Eisengreinius quibuscunq; renunciat in perpetuum hæresibus, & ad castra Ecclesiæ Catholicæ, extra quam nulla est salus, pro religione militatum transit.

Studet Iurisprudentiæ.

Ad Catholicam Ecclesiam se confert.

NEC multò pòst, cùm iam penitus in Religione Catholica

Fit Canonicus Viennensis.

tholica esset confirmatus,& ab ea neq; precio,neque precibus dimoueri amplius posse videretur, Canonicorum numero in Ecclesia Cathedrali Viennensi, Anno 1559. adscribitur, & sequenti anno non sine singulari nominis sui gloria Procancellariatus dignitate & officio, veluti Catalogum Candidatorum de ea re impressum vidimus, in Schola Viennensi perfungitur. Ibi tum etiam, cùm paulò antè iuris deserto studio totum sese Eisengreinius Theologiæ tradidisset, & quantopere aliquando Ecclesiæ Dei, religionique Catholicæ prodesse posset, modò voluntas non deesset, pijssimus Imperator intelligeret, vt perpetuum quoddam ad inceptum curriculum decurrendum haberet calcar, Eisengreinium in suam recipit fidem & Patrocinium, eiq;, posteaquàm Ordinibus sacris Anno 60. esset initiatus, Canonicatum apud D. Stephanum Viennæ confert, & simul Ecclesiastæ munus commendat, quo penè per biennium ea dexteritate, ea dicendi grauitate & facundia perfungitur, vt omnibus admirationi, Imperatori verò esset gratissimus. Quarum rerum omnium, vt planè arbitror, primarius fuit Dominus Iacobus Ionas Vicecancellarius autor, suasor, moderator, director, & rector. Atq; hæc sunt quæ Eisengreinio, dum Viennæ commoraretur, propitio Dei præpotentis numine fœliciter euenerunt. Nunc ad Bauariam, & Scholam Ingolstadianam transeamus.

Fit Procancellarius Archigymnasij.

Fit Ecclesiastes in Cathedrali Ecclesia Viennensi.

MAGNA quidem erant, fateor, quæ in Austria cùm Academia Viennensis, tum etiam piissimus Imperator in Eisengreinium contulit. Maximum ille locauit beneficium, cuius opera è tenebris expeditus in clarissima luce est constitutus: Cuius studio ex faucibus orci, & hæreticorum lacunis ereptus, sanctæ matri Ecclesiæ tanquam ouis perdita restitutus est, magnos honores exhibuit

hibuit Academia; benefecit & honorauit eum Imperator. Longè maiora, dempta vna religione, illi Bauaria & Serenissimus Boiorum Dux Albertus est largitus.

ANNO Domini 1562, cùm nominis sui celebritate, & singulari in docendo concionandoq; dexteritate Bauariæ quoq; innotuisset, Serenissimus Boiorum Dux Albertus Quintus, tanta viri illius fama excitus, concedente illud ipsum Augustissimo Imperatore, Eisengreinium Ingolstadium euocat, & opulentæ D. Mauritij parochiæ præficit, cui per decennium penè admiranda diligentia, industria & fœlicitate, tum concionando, tum etiam animarũ curam agendo præfuit. Nec longè pòst, Anno scilicet 63. cùm Licẽtiæ gradum in Schola Ingolstadiana insignitum videret, magis illum sibi, pro singulari eius virtute, & in Ecclesiã Catholicam meritis, honorandum non iniquè Princeps censuit, ac proinde inter consiliarios suos Eisengreinium adscribit, & Præpositura Mospurgensi vltro donat. Nescio enim, quomodo, quasi occulta quadam vi, omnium atq; etiam Principum animos in se conuertebat, & in sui pertrahebat amorem: Erat enim mira elegantia, & summa in dicendo suauitate præditus; raræ prudentiæ, & ingenij rotundi, staturæ deniq; Heroicæ, vt verissimum illum Vergilij versum esse, sæpe mihi in mentem veniret:

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.

Vocatur Ingolstadium ad Parochiam D. Mauritij.

Creatur Licentiatus Theologiæ.

Fit Consiliarius Alberti Ducis Bauariæ, & Præpositus Mospurgensis.

EODEM etiam anno Reuerendissimus in Christo Pater, ac Princeps, Dominus Zacharias Delphinus, SS. Sedis Romanæ Legatus, qui tum Germaniam peragrabat, Protonotariatus Apostolici dignitatem sponte sua ac benignè illi contulit. Atq; hac ratione, cum ingressu Eisengreinij in Bauariam, ipsius etiam honores & dignitates ilico sumpsêre initiũ, & indies magis magisq; accreuêre.

Fit Protonotarius Apostolicus.

Fit Academiæ Superintendēs.

ANNO Domini 1564. cùm inuictissimus religionis Catholicæ propugnator, Fridericus Staphylus ex hac lachrymarum valle ad æterna emigrâsset gaudia, in eius locum æquè inuictus Ecclesiæ & religionis defensor Eisengreinius, volente ita & ordinante Serenissimo Duce, successit, & Academiæ Superintendens est constitutus: Quam dignitatem & officium ea gessit magnificentia, ea vigilantia & diligentia, ea deniq; clementia & humanitate, vt omnes eum & reuerenter honorarent, suspicerentque, & vnicè diligerent.

Orator Ducis Bauariæ ad Sūmum Pontificem.

HABEBAT Serenissimus noster Princeps Albertus, Anno domini 1566. grauissimum quoddam & maximè arduum in curia Romana expediendum negotium, quod non nisi Oratorem prudentem, Actorem industrium & fidelem requirebat. Cùm igitur Princeps iam aliquot annis integritatem ac fidem, dexteritatem & prudētiam Domini Eisengreinij probatam haberet, eum inter plurimos alios elegit, & vnà cum Domino Ioanne Pfistero, Canonico Ecclesię Cathedralis Frisingensis, ac Præposito ad S. Andream & Isnensi Romam ablegauit. Ipsemet verò Eisengreinius oratoris munere functus vltra horam coram Summo Pontifice, PIO QVINTO, & amplissimo Cardinalium ordine, disertè, prudenter, ornate, grauiter, aptè & perquam piè perorauit: Cùm summus Pontifex, tum etiam Cardinales tam suauem, vberemque Oratoris eloquentiam ad stuporem vsq; admirati, neq; in homine Germano tantam dicendi vim inesse arbitrati sunt; de ęo nostra in Oratione Funebri extant Carmina:

Data copia fandi
Ipsa ante ora Patris, totus quem suspicit orbis,
Romani; stupuitq́; virum, stupuitq́; loquentis
Ora Sacerdotum Princeps atq; arbiter orbis.

Iuerat

Iuerat Orator, redit exorator ab vrbe,
Et victor responsa refert: satis omnibus actum
Magnorum impensis operum; Dux pectore toto
Accipit heroëm, & comitem complectitur omnes
Boïus in casus.

NON minori admiratione exceptus fuit, cùm Germanicè in Germanorum Templo concionaretur; ita in vtroq; Idiomate fuit excellẽs: Reuerenter itaq; & perquã benignè à toto penè Cardinaliũ ordine habitus est & tractatus, & in familiarissima Colloq̃a vocatus. Ipsemet Pótifex quingentis coronatis eũ donauit, sæpeq; cũ eo de religione contulit, de statu Germaniæ quæsiuit, aliaq; multa communicauit, quæ ad Ecclesiæ Dei & religionis Catholicæ incrementũ facerent. Tandem, antequàm Summo Pontifici valediceret, Comitatus Lateranensis Palatij dignitate ab eodem ẽst liberaliter honoratus.

Comes Aulæ Lateranensis à Pio Papa creatur.

ANNO verò *1567.* defuncto piè in Christo, eruditione pietateq; præstantissimo viro Domino Zittardo, Maiestatis Cæsareæ Cócionatore eloquentissimo, cùm Augustissimus Imperator Maximilianus secundus ex diuersis Germaniæ prouincijs ad se Theologos vocâsset, vt ex ijs eligeret, qui concionandi præesset muneri; ex omnibus vnum Eisengreinium, quem multis precibus à Serenissimo nostro Principe impetrauerat, mirificè approbauit. Et sanè, nisi & Serenissimo nostro Duci aliter visum, & aulæ pertæsus fuisset Eisengreinius, omnem in eo seruitio consumpsisset vitam.

Fit Imperatoris Maximiliani Concionator aulicus.

IMPERATOR vt gratum sibi Eisengreinij nostri officium seruitiúmq; fuisse ostenderet, suamq; vicissim in eundem propensam animi voluntatem testaretur; præter alia regia munera, quibus labores ipsius quasi compensare voluit, dignitate quoq; Palatini Comitis Impe-

Creatur ab Imperatore Maximiliano Comes Palatinus Aulæ Cæsareæ.

ratoria poteſtate eum ornauit. Circa eadem ferè tempora (neq; enim vſq; adeò ad vnguem tempora refert examinare) ad Præpoſituram Patauienſem eſt euectus, cùm tamen Canonicatum ibi haberet nullum.

Fit Præpoſitus Patauienſis.

NEC illud ſanè tacere poſſum, quòd in aula Imperatoria, dum Eccleſiaſtæ fungeretur officio, tantam ſibi nō apud plebem, nec apud aulæ proceres tantùm, quibus omnibus erat gratiſſimus, ſed ipſos etiam Archiduces Auſtriæ Seniores, vtpote Imperatoris fratres, exiſtimationem virtutis, pietatis & eruditionis pepererit, vt Epiſcopatu digniſſimus omnium iudicio cenſeretur.

Inuitatur ab Archiduce Carolo ad Epiſcopatum Laibacenſem.

ITAQVE cùm ad alios quidem, tum verò ad Laibacenſem Epiſcopatum humaniſſimis literis Sereniſsimi Principis Caroli, Archiducis Auſtriæ, & Stiriæ ac Carinthiæ Domini, &c. inuitatus eſt. Quam quidem dignitatem ſubmiſsè renuit, tum quia ſe tanto honoris faſtigio indignum modeſtè cenſuit, onusq; maius, quàm humeris ſuis impoſitum ferre poſſet; tum etiam quia minori contentus, minoribus cum curis (quanquam nec hæ illi pro ratione officij vnquam defuêre) maluit eſſe, quàm ad tantam euehi dignitatem, curisq; grauiſsimis & negotijs inexplicabilibus intricari, & antiquius illi erat inter Muſas cum mediocritate viuere, quàm in ſplendore apud Barbaros.

NEQVE illud ſanè ad ipſius pietatis exiſtimationem parum facit, quòd cùm Sereniſſima Duciſſa Maria, Sereniſſimi Boiorum Ducis Alberti filia, &c. ad nuptias ſuas proficiſceretur, ſe omnemq; ſuam fortunam Eiſengreinij noſtri precibus commendârit. Vidi ego tanquam oculatus teſtis vtriusq; literas, tum Sereniſſimi Archiducis, quibus ad Epiſcopatum eum euocauit; tum Archiduciſſæ Mariæ, quibus eius preces petiuit. Sed ad hiſtoriam reuertor.

ANNO

ANNO Domini 1570. mortuo 15. die Ianuarij, Reuerendo & Clarissimo viro ac Domino Georgio Theandro, SS. Theologiæ Doctore & Professore, ac Procancellario, &c. substituitur eidem in Procancellariatus officio Dominus Eisengreinius, miro tum Serenissimi Boiorum Ducis Alberti Quinti, tum etiam Reuerendissimi Aichstadiani Episcopi consensu & applausu, & Canonicatu in Ecclesia Aichstadiana Cathedrali augetur.

Fit Procancellarius Academiæ Ingolstad. ensis.

SEQVENTI Anno, hoc est, 1571. 6. Id. Quintil. in magna Auditorum frequentia, cùm superiori tempore Canonicatum in Ecclesia Patauiensi nullo labore impetrâsset, vnà cum Reuerendo & incomparabili viro ac Domino Alberto Hungero, nunc temporis Procancellario (de quo capite sequenti) Doctoralia in SS. Theologiæ studio recepit insignia. Noló hîc commemorare, quàm augustus ille fuerit actus, quàm omnia magnifica & splendida, ne, qui omnia in deteriorem interpretantur partem, suppeditatum sibi à me habeant, quod calumnientur, & in Theologis perperàm ac malitiosè reprehendant.

Creatur Theologiæ Doctor.

ANNO Domini 1575. Sanctissimus Pontifex eundem Eisengreinium primum in Oetingensi Præpositura Infulatum declarauit Præpositum, tum quidem quòd eius pietas, zelus in religione Catholica, eiusq; defendendæ studium ardentissimum, & virtus pulcherrima iam dudum Romæ innotuisset; tum verò quia ea de re apud Summum Pontificem, Serenissimus Princeps Albertus instabat, qui singulari quodam affectu erga eum locum, Prodigiis & Miraculis insignem ducebatur. Vnde idem Serenissimus Princeps aliquot mille aureorum Infulam ac Pedum fieri curauit, pieq; ac religiosè liberaliterq; ad id Templum D. Mariæ consecratum dono dedit; de qua

Declaratur primus in Oetingêsi Præpositura Infulatus Præpositus.

re luculentam D. Ioannis Lonçi Boſcij, Doctoris Medici ac Profeſſoris, viri clariſſimi, orationem, in Septimis Sereniſſimi Boiorum Ducis Alberti habitam, videre licet.

Podagra laborat.

CÆTERVM vt nihil eſt ab omni parte beatum, iam tum atrociſſimus hoſtis podagra cum doctiſſimo & placidiſſimo viro conflictari cœperat; non tamen ille cœptam ſemel ſtationem deſerit, & ne tunc quidem, cùm lecto affixus nuſquam prodire poteſt. Non relinquit Academiam: Non Eccleſiam Dei & religionem deſerit: Propugnat eam contra impuriſſima hæreticorum ora: Et quæcunq; in eiuſdem incolumitatem, propagationem & incrementum videntur facere, eorum intermittit nihil, ne quidem in ſummis articulorum doloribus conſtitutus.

Is ipſe morbus, cùm in ſingulos annos magis magiſq; increſceret, ſemperq; vehemẽtiùs inuaderet, & iam penè per triennium lecto affixiſſet; tandem eò proceſſit, vt nõ ſolùm totum exhauriret corpus, & ad ſummam redigeret maciem; ſed & ventriculi vires euerteret, continuo præſertim aquæ potu accedente, vt ex nobili illa penu, reliquis partibus, aut parum, aut penè nihil alimenti diſtribueretur. Itaq; non longè ante finem Aprilis anni 78. ex largiſſima alui reſolutione ſummus virium collapſus eſt ſecutus, adeò vt extremum vitæ limitem haud procul abeſſe, facilè intelligeret. Succurrebat & illud, genio proculdubio ſuggerente admonenteq; propitio, idem eſſe tempus, quo, ſuperiori anno, æquè lethaliter decubuiſſet.

REFERVNT eius domeſtici, quòd tum temporis (rideant licet hæretici, & cachinnis excipiant, quemadmodum omnia Catholicorum argumenta excipiunt, ſoluuntq;

nuntq; scilicet) vnũ tantùm vitæ annum à Deo Opt. Max. precatus sit, & proinde D. Mariæ Virgini in veteri Oetinga votum fecerit, propterea quòd res suas nondum composuerat: Nec sanè votis precibusq; ipsius Christus filius cum matre sua sanctissima defuit.

Votum D. Eisengreinij.

CVM igitur de die in diem vires minuerentur, ea sola, quæ Christianum & Catholicum hominem migrationi proximum decent, & requiruntur necessariò, cogitare cœpit, cùm iam antea res suas ita ordinârat, vt iis nullam ampliùs cogitationem impendere foret necessum, totumq; se ad migrationem præparat, peccata per Sacerdotē aliquoties expiat, sacramq; percipit Synaxin, ac sacro deniq; pridie, quàm efflaret animam, sacro inungitur oleo; tandem die quarto inter manus suorum, spectantibus Reuerendis Patribus de Societate, Philippo Mentzelio Medico, Sebastiano Franck S. Theologiæ Licentiato, qui vno die è Monaco ad eos euocatus aduolârat, & M. Ioanne Engerdo Poëseos Professore; Item Fratre eius Casparo, aliisq; domesticis, piè, placidè, obdormituroq; similis extremum spiritum vnà penè cum voce reddidit.

Pietas D. Eisengreinij.

PRÆTEREVNDA illa minimè vidētur, quæ in ipso penè articulo mortis, vt admiratione dignissima, ita Christianissima, Catholicissima, pietatis & consolationis plenissima, quæ nos omnesq; morientes non mediocriter ad animositatem & constantiam hortari debent, in heroē isto spectare licuit.

CVM summis pridiè, quàm animam exhalaret, doloribus affligeretur, & penè non cum ipsa confligaretur morte, circumstantibus & fortiter ad pugnam capescendam hortantibus, & præsertim suo collocutus Medico; Non horreo mortem, Sanum est cor, fides integra, Deus confirmet. Et paulò antè quàm migraret, cùm morituro similis

Constantia D. Eisengreinij in articulo mortis.

ſimilis decumberet, & Reuerendus Pater VVendelinus Focckius, Rector Societatis Ieſu, acclamâſſet: Ieſu fili Dauid miſerere mei; ilico quaſi reuiuiſcens ſubiunxit: Miſerere mei Deus ſecundùm magnam tuam miſericordiam; & paulò pòſt: Nihil poſſum ampliùs, cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto; & quaſdam alias voces bene pieque migrantis indicia certiſſima: Quæ ſanè eleganti carmine Philippus Mentzelius, rerum omnium teſtis oculatus, comprehendit, & ego adſcribere non grauabor:

Elegans Carmē D. Philippi Mentzelij.

Quumq; moneretur, diuino è codice promptis
Vocibus, ad pugnam, quam nunc inſtare videret,
Præſenti eſſe animo: Nam formidabile Chriſti
Militibus reſtare nihil: nihil ille moratus,
Ac tollens ſublime caput: Non horreo mortem,
Cor Sanum eſt, integra fides, Deus omnia firmet;
Inquit, & effigiem cruce dependentis Ieſu
Contemplatus item: Mea tu ſpes vnica: *ſubdit.*
Inde pios monitus & conſolantia verba
Myſtarum excipiens, Etiam hæc, *ait*, ipſe voluto
Cuncta meo cum corde: Vetor ſed acumine morbi
Proloquier multis: *Cuidam tum forte roganti,*
Tempore qui ſummo moribundum mœſtus amicum
Viſebat: Qualem tam fracto corpore vitam
Viueret: ille: Breui pòſt in meliore futurus,
Reſpondit, & paulò pòſt:
Poſtquàm autem certi demum ſibi funeris horam
Aduenisſe videt: Fili Dauidis Ieſu
O miſerere mei, tua quæ miſeratio magna eſt:
Subijciens: Cupio diſſolui, dixit, & eſſe
Cum Chriſto;

CVM iam penè oculi morte eſſent grauati, nec linguā poſſet tollere, ſentiretq; procul dubio Dæmonis inſultus,

quam

quam viuus contra hostes, & hæreticos defenderat, ad eiusdem sanctæ Crucis signaculum confugere videbatur: Id quod ibidem etiam eleganter describit Mentzelius his versibus.

Quin & memini, cùm morte grauatos
Vix oculos posset, vix ægram attollere linguam,
(O animosa fides) nobis cernentibus, ipsum
Ter moto capite abnuere & ter pectus anhelum,
Iam frigente manu Crucis obsignare figura,
Tartareos contra insultus (sic credere par est)
Nitentem, quibus atra cohors Ducis illa Sathanæ
Aggreditur miseros extremo in margine vitæ
Hærentes, captatq́ dolis ac territat vltrò.

HÆc ferè est totius vitæ Eisengreinij series & cursus, in qua quid Ecclesiæ, & religioni, quid Academiæ præstiterit, qua eidem humanitate & beneuolentia præfuerit, si vellem dicere, materies quidem me non deficeret, sed in eloquentia verba, sententiæ & flores oratorij. Dicendum tamen breuiter aliquid, ne ipsius benefacta silentio inuoluisse consultò videar. Iam dudum, ac tum quidem, cùm Dux Albertus Quintus rerum esset potitus, non irrepere tantùm Lutheranismus in Bauariam, sed & obsederat eam, itaq; penè occupârat, vt proceres quidam rotundis verbis quædam ex Lutheri doctrina penuque deprompta sibi concedi, ab Illustrissimo Principe auderent petere. Nec minùs exorbitare Clerus cœperat, ac trãsuersum ire, suoq; malo exemplo (quemadmodum plerunq; pro corrupta hominis natura, deteriora citiùs, quàm meliora imitamur) animos plebeios offendebat.

Merita D. Eisengreinij.

ERAT tum illi Ecclesiastes quidam insignis, pietate, vitæ integritate eruditioneq; nulli secundus, Ioannes Gressenicus, Professus, Ordinis Dominicani: Is cùm omnibus

mnibus viribus,neruisq; contra iampullulantem & penè confirmatum Lutheranismum sese opponebat, & perpetu[illegible] simis dictis & religionis Catholicę doctrina Principis aures personabat, ne fortè phaleratis quorundã dictis, quod timendum tamen non erat, transuersum raperetur. Vt itaq; Princeps istis schismaticis & suam in Catholica religione constantiam, inuictumq; in eadem tuenda testaretur animum, & ijsdem omnem spem alicuius obtinendi præcideret, visitationem per totam Bauariam, & præcipuè Cleri, vnde plurimum videbatur offensionis ad plebem dimanare, prudenter instituit, & præter alios ei negotio Reuerendum Dominum Georgium Theandrum, Doctorem Theologum, Professorem & Procancellarium, &c. Anno 1558. Semestri hyemali præfecit.

VERVM ea visitatione parum, aut nihil omnino effectum, demonstrabat euentus, ipsaq; hæresis indies magis magisq; inualescebat, vt iam benigna respueret medicamenta, & non nisi extrema remedia tanquam morbo extremo viderentur adhibenda. Intelligebat hoc cum cæteris quibusdam Dominus Eisengreinius, posteaquàm paucis annis totum Bauariæ statum perdidicerat.

Visitationem instituendam consuluit.

ITAQVE de noua Visitatione instituenda instat apud Principem, nec ipsum Clerum tantùm censet reformandum, sed etiam seculares, & quoscunq; de plebe, propterea quòd id genus hominum plerunq; ad hæreses nouasq; opiniones est procliue, primumq; quasi impete quodam, aut torrens aliquis ruit, visitandos arbitratur, de religione apud omnes status inquirendum, & siqui essent seducti, quocunq; labore, si fieri queat, ad meliorem saniorem q; reducendos mentem, sin minùs, saluis ipsorum bonis, ne Tyrannis instituta videatur, è Bauaria excludendos, ne contagio ista latiùs serpat.

NEO

NEC difficulter tam salubri consilio Serenissimus Princeps annuit, scilicet, quia proprio iam edoctus esset periculo, quæ nam Lutheranismi natura & effectus, quàm ad seditiones & machinationes cruentas, & nulla non audenda scelera hominũ animos erigeret inflammaretq;, & si tutò liceat dicere, manus subditorum in Domini sui caput armaret.

Visitatores clarissimi.

AD eam rem promouendam opportuni strenuiq; accesserc autores, adiutoresq; nobiles quidam & clarissimi in aula Principis viri, quorum pars maior iam dudum abiit, & inter eos haud postremas egit partes, Dominus Simon Thaddæus Eccius, Principis supremus Cancellarius. Et quoniam Academiæ, quę verè Catholicum merentur & adhuc syncerè obtinent nomen, religionis quasi asyla & propugnacula quędam esse debent, quibus expugnatis, reliquam prouinciam facilè expugnari, infectis, infici posse, iam dudum nos euentus, & vna Saxonia abundè satis edocuit, non aliter atq; laborante capite, & vel cum Apoplexia, vel Epilepsia, vel deniq; quocunq; grauiore cum morbo conflictante totum corpus laborare necessum est, primò omnium Academiam Ingolstadianam ab hæreticis inquinamentis purgandam censuit, excrementaq; exportãda. Eijcitur proinde (imò ipsimet potiùs sese eijciunt) vnus & alter atq; etiam tertius.

Fructus Visitationis Bauaricæ.

INDE ad primarias itur ciuitates, vbi pari ratione examina instituũtur, donec ad inferiora etiam oppida deuenitur, omniaq; castella, vici, pagi & singuli penè Bauariæ anguli perlustrantur. Alij tergiuersantur publicè, maluntque quamuis inire conditionem, quàm semel quasi iuratam mutare religionem. Alij verò procastinant, nondum patientes aures sanis monitis & Catholicis institutionibus edocti. Alij deniq; vltrò victas porrigunt

manus,& informari ſubmiſsè petunt. Ex quibus certè ita quoſdam religionis Catholicæ, cùm ad Eccleſiæ rediiſſent gremium, vidimus inflammatos amore, vt nihil illis iam ſit Catholicoteron, & priores ſuas omniumq; hæreticorum opiniones execrentur: Quanquam etiam nō defuiſſe ſcimus, qui vel bonorum & poſſeſſionum dulcedine, vel officiorum pinguedine & dignitatibus pellecti, palinodam & Catholicam religionem in aliquot ſimulârint annos.

Exemplum fucati hominis.

NIHIL hîc dicam de Panthaleone Hudlero, Archigrammateo Ingolſtadiano, quàm ille & ſuos ciues & Academiā, imo ſeipſum potiùs & ſuam animā multis fefellerit annis (quanquā ſemper Academicis erat de vulpina mente ſuſpectus) cùm vlcus tangere, perquàm eſſe periculoſum, meo didicerim periculo. Vtut ſeſe habent, certè beneficio tum aliorum quorundam clariſſimorum virorum, tū verò opera, ſtudio ac labore Domini Eiſengreinij repurgata eſt, & Eccleſiæ pax ac tranquillitas reddita.

D. Eiſengreinius Autor, augmētator & locupletator Academicæ Bibliothecæ.

NEC minùs profectò illius, tum de Eccleſia Dei, tum de Academia noſtra bene merendi ſtudium & illud teſtatur, quòd inſtructiſſimæ noſtræ Bibliothecæ non augmētator tantùm & locupletator extiterit, ſed & primum eius autorem fuiſſe tota nouit Academia, vt non tantùm viuus, ſed etiam mortuus Eccleſiæ, religioniq; Catholicæ, & Academiæ boniſq; literis bene conſuleret. Etenim primò nō ignorabat, quantum & ornamenti, & vtilitatis, & in ſtudijs incremēti, tum ipſiſmet Academijs, tum etiam ſtudioſæ iuuentuti ex bene inſtructis, iiſq; publicis & omnibus ad acceſſum patentibus, accederet.

DEINDE quoties Boiorum Principum in ſe bene merita, & ſingularem Academiæ beneuolentiam, ſtudiūm & obſeruantiam conſiderabat (conſiderabat autem & prædi-

prædicabat ſæpiſſimè) nemini ſe plus debere affirmabat, quàm Boiorum Duci Alberto, & quàm Scholæ Ingolſtadianæ.

CVM itaq; nunquam ſuam ab Vniuerſitate ornanda & locupletanda cogitationem auocaret, intellexiſſetq;, pulcherrimã Bibliothecam, & vel vnius Henrici Glareani nomine celebrem à Domino Ægolpho à Knöringen, Canonico, & ſummo tum temporis Scholaſtico Auguſtano, apud quem & fide, & autoritate pollebat plurimum, eſſe coëmptam; primam hîc ſibi aleam eſſe iaciendam, periculumq; faciendum cenſuit, nec deſtitit àpud eum precibus opportunè & importunè inſtare, donec bibliothecam ſuam cum opulento & ſplendido antiquitatum Theſauro, annuiſq; inſuper conſtitutis redditibus, Academiæ noſtræ in viuis donaret.

QVO impetrato, cùm iam ad nos ea translata eſſet bibliotheca, & in noſtra poteſtate ac manibus foret, eadem fœlicitate Magnifici viri ac Domini, Simonis Thaddæi Eccij, Boiorum Ducis Alberti Cancellarij ſupremi hæredes aggreſſus, partim eô precibus permouit, partim argumentis perſuaſit Eiſengreinius, vt eiuſdem Cancellarij locupletiſſimam bibliothecam, & vel ideò nobilem, & Academiæ acceptam, magniq; faciendam, quòd maior pars ab inuicto religionis Catholicæ propugnatore & noſtræ Academiæ lumine quondam clariſſimo erat profecta, vltro ac liberè Vniuerſitati in perpetuum ſine omni remuneratione concederet donaretque. Iam verò quid de Reuerendi & Doctiſſimi viri ac Domini Rudolphi Clenckij, Saxonis, LL. Licentiati, & S. Theologiæ Doctoris ac Profeſſoris, & Collegij Georgiani Regentis, bonæ recordationis, bibliotheca dicam?

TANTA certè illa eſt omnium iudicio, tam locuples

Commendatio Bibliothecæ Clenckianæ.

& omni genere librorum in quibuscunque scientijs, literis & linguis instructa, tam nitida & ornata, vt apud eius conditionis ordinisq; homines parem illi nec quisquam in Germania viderit, nec vnquàm visurus sit: vtpote quæ circiter quinq; millium florenorum pretio esse comparatam nobis constat. Eam à Domino Clenckio, cùm iam iter in Saxoniam ad Ericum Ducem Brunsuicensem adornaret, vnus impetrauit Eisengreinius, & ita impetrauit, vt eam & scriptis post se relictis, & viua voce coram toto Senatu Academico donaret Vniuersitati. Cuius accessione, tantum Bibliothecæ nostræ comparatum est incrementi, vt iam penè cum omnibus aliis Germaniæ & quidem Principum virorum Bibliothecis, excepto vno Boiorum Ducum incomparabili Thesauro, possit certare.

SED ne tum quidem voluntati Domini Eisengreinij satisfactum, neq; Bibliotheca satis illi locupletata videbatur, sed & ipse suam testamento Vniuersitati legauit. Atq; ita factum, vt Academia Ingolstadiana ea Bibliotheca, tanquam singulari ornamento, Thesauro regio & bono incomparabili non immeritò, vereq; & possit & debeat gloriari. Eam verò gloriam vnius Domini Eisengreinij piæ voluntati, studio indefesso & fideli operæ ac laboribus nos debere, ingenuè fatendum est.

Fundauit duo stipendia.

ADDE hîc & illud æterna memoria dignum, quòd idem Eisengreinius de suis bonis duo satis opima stipendia in Collegio Georgiano fundârit, perpetuam suæ pietatis memoriam in æde D. Mariæ Virginis reliquerit, donauerit religiosos, legârit Ecclesijs, pauperum non oblitus: Atque hæc silentio à me præteriri, neutiquam debebant.

CÆTERVM quamdiu Academiæ nostræ Serenissimi Ducis

mi Ducis loco præfuit, eam omni amore & humanitate est complexus, summa animi moderatione rexit, summa fide protexit, & quod quidam insignis Orator de eo publicè perorando dixit, quantum ipsi erat concessum potestatis, tantum quoq; humanitatis cum seueritate quadam temperanter adiunxit, vt hæc dignitas & autoritas non superbiæ, aut quælibet pro libidine faciendi libertati, sed bonitati & moderationi dederit materiam.

Patronus Academiæ incomparabilis.

SED vel à contrahenda, & in aliis quoq; Scholę nostræ luminibus periculum faciendum. Sepultus est heros ille apud D. Mariam virginem, in choro ante summum altare, cum ferreo monumento, quod eiusmodi habet inscriptionem.

D. O. M.

MARTINI Eisengreinij Theologi quicquid mortale fuit & terrenum, hîc in terræ parentis gremio depositum, resuscitationis nouissimam expectat placidè tubam.

Duo Monumenta Sepulturæ D. Eisengreinij in Templo B. Virginis.

De te quid fiet, amice Lector cogita.

VIXIT annos 42. menses 4. dies 7.

OBDORMIVIT in Christo III. Non. Maij, Anno salutis humanæ M. D. LXXVIII.

SED & alterum perquàm magnificum eidem Ioannes Eisengrein LL. Doctor & Canonicus, frater, & ex institutione hæres illi in Sacello D. Christophori, Altaris instar erigi suis expensis curauit, quod in summitate eiusmodi habet inscriptionem aureis literis factam:

REVERENDO, Nobili & Magnifico D. Martino Eisengrein S. Th. D. ac Prof. Prot. Apl.^co, Com. Pal. Cæs. Cathed. Passau. Ecclīæ & in Vet. Oetinga Ppo. S. Cæs. Mt̄is & Sereni. Bau. Ducis Cōsiliō & Cōcionatori, Scholæ huius Procācellario & Patrono, Fidei Catholicæ Propugnatori

pugnatori inuicto. IV. Nou. Maij. Anno sal. D. L. XXVIII Ætat. suæ XLII. Mense V. Die. VII. in Chrô piè defuncto, &ad sumum Altar. huius templi sepulto, Can. cus. Bassau. saguine frater, instiiutione filius & hæres gratitud. ergô. P.

RHODOLPHVS CLENCKHIVS.

INTER bona, quæ in personatum exornationem cadunt, vim habere nulla videntur habere maiorem, ornamentiq; ac laudis plus adferre, quàm quæ animum respiciunt, & præsertim salutem nostram, Christianam, & Catholicam religionem, cuius agnitio bonis omnibus censetur suo iure superior; quanquam nec cætera, siue corporis, siue fortunæ sunt bona, negligenda arbitror.

Vita D. Clenckhij. IN Clenckhio nostro describendo, rudiq; tantùm calamo delineando, primò quidem occurrit patria, natalisq; locus, præcipuè tamen religio Catholica in eo spectanda, quæ tanto plus ad exornationem laudemq; Clenckhij momenti adfert, quanto ea magis à natali eiusdem loco oppugnata est semper. Natus est Clenckhius Anno Domini 1528. in Saxonia ex honesta Clenckhiorum familia, & in vrbe quidem Archiepiscopali Brema, iam tum deterrimis Lutheranæ hæresis sordibus, non inquinata solùm, verùm etiam obsessa penitùs, adeò vt nihil Clenckhio nostro procliuius esset, quàm vel nihil omnino de religione Catholica scire, vel cognitam negligere, repellereq;, & dulci illo hæresios & Pandoræ poculo inebriari. Rectè, enim quisquis ille est, dixit: Frangas citiùs,

citiùs, quàm corrigas, quæ in prauum induruêre. Et tenacissimè nobis dicũtur illa inhærere, quæ teneris annis imbiberimus.

Academias inuisit Germanicas.

CVM primùm per primos ætatis annos est licitum, parentum cura bonis est addictus literis, & posteaquàm grauioribus studijs operam locare poterat, patria deserta, Saxoniæ inuisit Academias, & primò quidem VVittenbergam, tum & nouis in religione opinionibus, ac doctrina, & ipsius Hæresiarchæ Lutheri nomine celebrem, deinde Ienam Misniæ, & post Ducum Megapolitanorum Scholam Rhostochij. Circa annum 1550. cùm Poloniæ regnum Sigismundus Augustus, vltimus ex Iagellonum Prosapia Rex, teneret, Cracouiam studiorũ gratia venit, & vel iam tum fundamenta religionis Catholicæ habuisse iacta, vel certè iecisse Cracouiæ verisimile est.

Studet Cracouię in Polonia.

Linguarum peritissimus.

EXCELLVIT autem præ cæteris noster Clenckius in linguarum cognitione, in qua, tum propter varietatem, tum excellentiam omnibus doctis meritò fuit admirationi, atq; in eam rem eô pòst incumbebat vehementiùs, posteaquam ad Theologiam transierat, quò plus ad eius studij cognitionem videbatur conducere. Itaq; Græcam literaturam nõ infœliciter Latinæ coniunxit: Nec Hebraicę, neq; Chaldææ, nec deniq; Siriacæ rudis esse voluit.

Dat operam iurisprudentiæ.

Louanij creatur Licentiatus Iuris.

CÆTERVM absoluto Philosophię curriculo, iurisprudentię dabat operã, in qua tantos fecit progressus, vt in celeberrima Louaniensium Academia Licentiatus titulum consequeretur.

Dat operam Theologiæ, alumnus Ducis Bauariæ.

CVM verò deserto iuris studio, totum se Theologiæ addixisset, tum demum Serenissimus Boiorum Dux Albertus, pię memorię, Quintus eum in suam tutelam ac patrocinium recepit, & in Schola Louaniensi Theologiæ operam dantem liberaliter sustentauit aluitq;.

ANNO Domini 1562. Cùm paulò antè sese Clenckhius Ingolstadiū contulisset, 6. Idus Iunij Baccalaureatus gradum in Theologia recepit; Anno verò 1563. pridie Idus Decembris Licentiæ titulo insignitus, & ipsis Idibus vesperialem disputationem obiuit; denique postridiè Iduum eiusdem mensis Doctoralia insignia, in magna totius Scholæ frequentia, Procancellario & Promotore Domino Georgio Theandro, est consecutus. Certè eius studij assidui strenuiq; illud ipsum est vberrimum testimonium, quòd infinitæ penè lectionis fuerit; præsertim verò in historiis, adeò vt de nulla penè res in conuersationem colloquiaq; incideret, de qua non & ille posset aliquid in medium afferre.

Creatur Doctor Theologiæ.

DE peregrinationibus eius aliquid etiam mihi dicendum videtur. Et quāquam Clenckhius noster non ita heroica esset corporis statura præditus; laborum tamē, æstus & frigoris, famis & sitis erat patientissimus, & durissimum quenquam, qualis Saxonibus est familiaris, & coctu difficilimum cibum deuorabat concoquebatq;, nec facilè ab extrinsecùs occurrentibus lædebatur; atque adeò, ita robustam habebat naturam, beneque dispositum temperamētum, vt aut nunquam, aut certè rarissimè cum aduersa confligtaretur valetudine, & ego quotiescunque eum adhuc superstitem intuebar oculis, aut etiamnū cogitatione animoq; apprehendo & perlustro, illa semper Vergilij in memoriam reuocem.

Multas & longinquas peregrinationes confecit.

Non hic Atridæ, nec fandi victor Vlysses,
Durum à stirpe genus: natos ad flumina primùm
Deferimus, sæuoq; gelu duramus & vndis.

VNDE factum, vt cùm exterarum quoq; nationum visendarum desiderio flagraret, tum vt diuersas gentium linguas & mores addisceret, tum etiam; vt antiquitates

veterum,

veterum, quæque ex multis hausisset magistris, coràm intueretur, diuersas Europæ partes peragrauerit. Perlustrauit totam ferme Germaniam, cui suos in studiis profectus, omnes rerum suarum fœlices successus & honores ac dignitates penè vni debet. Deinde asperrimas periculosissimasq; in remotissimam & planè Barbaram Moscouiam perreptauit regiones. Erat autem tum in comitatu cuiusdam Ducis Lithuaniæ, quem Serenissimus Rex Poloniæ Sigismundus Augustus, anno 1551. ad Regem Moscouitarum misit. Immensos labores in ea profectione exhausit, molestias & difficultates deuorauit grauissimas. Vix tertio quoq; die ad hospitium est deuentum, & super niues quandoq; ac glaciem, stratis & inuolutis tenuibus, quæ secum ferebant, erat decumbendum, atq; ita plurimę noctes sub dio transactæ sunt. In ea quoq; profectione vidit Liuoniam, Suetiam, Lithuanam, Daniam, Angliam, & quæcunq; tellus ad Balthicum iacet pelagus.

Fuit in Moscouia.

POST id tempus ad studia redijt, & primò Gebhardi à VValpurg, nunc Reuerendissimi & Illustrissimi Principis & Septemuiri, & Archiepiscopi Coloniensis præceptorem egit; pòst etiam aliorum Baronum curam habuit, in quorum seruitio christianissimũ & florentissimũ quondam regnum Galliæ perlustrauit, ac Parrhisiis & Tulli Burgundionum literis operam dedit. In Italia verò Bononiæ, Senis & Romæ militauit. In Germania verò inferiori, Serenissimi Boiorum Ducis sumptibus studio Theologico incubuit. Quin etiam Poloniam & Lithuniam, vt paulò antè indicaui, non obiter inspexit.

Fuit Præceptor Gebhardi Archiepiscopi Coloniensis.

ITA Clenckhius noster varias & latè dissitas perreptauit nationes, vidit complures, easq; diuersissimas gentes, multarumque didicit linguas, móresque inspexit, vt non immeritò in ædiculis suæ præbendæ apud Ingolsta-

Vir magnæ experientiæ.

dienses illum Homeri versum, de se suisque peregrinationibus lapidi inscripserit:

πολλῶν τ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω.

Præses ac Professor in Collegio Eystettensi.

ANNO domini 1564. cùm Reuerendissimus Princeps ac Dominus Martinus à Schaumberg Episcopus Aichstadianus in prouinciæ suæ & Ecclesię religionisq; Catholicæ incolumitatem, in Episcopali sua vrbe Collegium exstruxisset, & ad professiones plerosque ex Ingolstadio euocâsset, Clenkhius quoq;, concedente id Serenissimo Boiorum Duce Alberto, &c. Aichstadium ad recens institutum Collegium regendum, & Præsidis Professorisq; in Theologia officium subeundum est accersitus: Vbi etiam penè per annos sex, quoad Præsidis est functus munere, Suggestui & Ecclesiastæ officio in summo Tēplo, magno cum zelo & diligentia præfuit.

Regens Collegij Georgiani apud Ingolstadienses.

ANNO verò 1570. cùm elapsis mensibus Reuerendus & pietate grauitateque vir præstantissimus, Christianus Khripper, S. Theologiæ Baccalaureus, &c. in Suffraganeum Patauiensem electus, Regētiæ Collegij Georgiani renuntiasset, eidem ex mandato Illustrissimi Ducis subrogatus est, Rhodolphus Clenckhius, & simul illi professio

Professor Theologiæ.

Theologica, quam positiuam vocant, commendata est: Cui annis insequentibus lectionem Dominicalem de casibus conscientiæ vltrò, nullo interueniente stipendio aut emolumento, ipsemet adiunxit.

ET quāquam cùm terra mariq;, tum variis iisq; plurimis obeundis negotiis immensos penè labores exhausérat, vt iam nihil nisi quies & tranquillitas illi spectanda videretur, nec ignoraret, quantis sibi difficultatibus, molestiis periculisq; superior in Moscouiam profectio cōstitisset; nihil tamen territus, in Ecclesiæ Dei & religionis Catholicæ plantationem, propagationem & incolumitatem,

tem, alterã profectionem & in Moscouiam legationem, ordinante id ita Illustrissimo & Reuerendissimo Cardinale Morono, plenam periculi, & tempore prorsus incommodo, nondum transacta hyeme, obire statuerat. Itaque ad iter omnia iam apparauerat, cùm nescio quo fato, aut casu interueniente, institutum iter est interceptum, magno quidem cum Clenckhij dolore, qui non solùm magnam nominis sui celebritatem sibi propositam habebat, sed certissimam etiam fœlicis rerum omnium successus spem conceperat.

Legatio in Moscouiam fuit illi oblata à Cardinale Morono.

ANNO deinde 1577. cùm secunda vice ab Illustrissimo Principe Erico, Duce Brunsuuicensi Catholico, in Saxoniam euocaretur, dissuadentibus Academicis, inuito penè Duce Bauariæ, & Episcopo Aichstadiano, fato quodam fortè suo, Saxonicum ingreditur iter, & ad Ducem Ericum Calenbergum properat: Vbi quid profecerit, aut quomodo res eius successerit, euentus docuit. Certè cùm integrum annum & circiter quatuor menses Ecclesiasten egisset, Ecclesiam reformare, & religionem propagare omnibus viribus, sed frustra elaborâsset; in electione deniq; Archiepiscopi Coloniẽsis, Serenissimi Ducis Erici Legati munere fuisset fũctus, Anno Domini 1578. octauo Iduum in festo Diui Sixti Pontificis & martyris, in arce Calenbergo, animam ei, vnde acceperat, piè placideq; reddidit: Deus animæ defuncti sit propitius.

Vocatur in Saxoniam ab Erico Duce Brunsuuicensi.

Obijt in Saxonia.

FVIT profectò vir ille magnæ lectionis, laboris immẽsi, adeò vt quo plus illi oneris imposuisset, ea plus in se recepisset; breuissimi somni & multarum vigiliarum. Gratus Academicis, & de Schola nostra bene meritus. Bibliothecam sibi propriis expensis comparârat pulcherrimam & refertissimam, qualem apud priuatam personam, ne in tota quidem Germania, licet videre: In ea suas

Bibliothecam habuit locupletissimam.

habuit delicias, voluptatem quæſiuit, & quodammodò ſuperbiuit ingenuè.

Donauit Bibliothecam Vniuerſitati.

EAM cùm non malè imprudenterque cogitaret, omnes ſuos ſucceſſus, honores, dignitates, totáq; ſubſtantiã inclytæ Domui Bauaricæ, & Academiæ Ingolſtadianæ ſe debere, antequàm iter ingrederetur (fortè hoc ipſum genio ꝓpitio illi ſuo dictãte) viua voce, in pleno Academiæ conſilio, Vniuerſitati ad pios vſus liberè donauit.

REVERENDISSIMVS Epiſcopus Aichſtadianus, vt dolorem, quem ex ipſius morte perciperet, omnibus teſtatum faceret, & quia animæ defuncti bene cuperet eſſe, curauit illi exequias fieri, cum oratione funebri latina, quam Reuerendus Dominus Petrus Steuartius, S. Theologiæ Licentiatus, & Profeſſor Aichſtadianus habuit. Et Ingolſtadij itidem eſt illi cum Oratione funebri litatum in collegio Georgiano. Theologi in ſuo auditorio, collegæ ſui chariſſimi non immemores, dignum defuncto ſtatunt monumentum.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

QVAM nullo cum periculo, aut certè perquàm exiguo ſit coniunctum, eos, qui vita humanaq; conditione defuncti, ex communi hominum ſocietate conſortioq; emigrârunt, iuſtis proſequi encomiis, illa docent vberrimè, tum quod à veteribus etiam Ethnicisq; hominibus ſit impium habitum, flagellare mortuos; flagellat autem qui proſcindit conuitiis, tum quod Chriſtiana quæq; pietas non exagitandos monet eſſe mortuos, ſed ſuæ quoslibet relinquendos quieti, vulgò etiam dici ſolet. Deinde rectè videtur cecinisse poëta:

Omnia

Omnia post obitum fingit maiorum vetustas,
Maius ab exequiis nomen in ora venit.

Eô profectò mihi vicissim videtur & difficilius & minùs esse tutum, ornare viuos, & præsertim eos, quibus cum nobis eadem est respublica, & quotidianus intercedit vsus, cùm quicquid in alterius laudem dixeris, non desint momi & obtrectatores, qui ægrè ferant, qui in sinistram interpretentur partem, qui, cùm ipsi nulla propria luce splendeant, nulla gloria, tanquam pulcherrimo virtutis præmio, excellant, aliorum luci tenebras offundere, & gloriam infamia conspergere, obscurareque omnibus enitantur viribus. Mihi verò, qui ad nihil minus in oratoria palestra, quam ad exornationes sum natus, quotiescunq; ad id genus Orationis accedo, & in alterius laudem aliquid exarandum mihi est, semper illud Terentiani adolescentis in mentem venit:

Ah vereor coràm in os te laudare ampliùs,
Ne id assentandi magis, quàm quòd habeam gratum, facere existimes.

QVICQVID igitur huius est generis, quod cùm de vita defunctis, tum verò de viuis adhuc Academiæ nostræ Professoribus, & illustribus personis posteritati trado, illud me nemo assentandi gratia facere, sibi persuadeat, sed ꝙ qualemcunq; grati animi, beneficiorumq; eorundē memorię significationem apud posteros velim relinquere, aliosq; ad id genus virtutis meo exemplo excitare.

CARMEN VALENTINI ROTMARI
AD
COLLEGIVM THEOLOGICVM.

IN

IN sua Pierias, bis bina, Academia Musas,
Ceu partes, diuisa, regit, collegia; quorum
Tu primo numerare loco, super æthera ad altas
Quod potes ire domos, cœlosq́ intrare patentes,
AEternos & adire Deos, rerumq́ parentem,
Colloquioq́ frui: quo Diua scientia versu
Teq́ tuosq́ canam, tua qui mysteria vates,
Scrutantur, rectumq́ docent ad sydera callem?
At non hic tantæ iustas componere laudes
Possibile est Diuæ: Vestrum tamen, inclyta sacræ
Lumina doctrinæ, non percurrisse, nefandum
Sit, studium; breuiterq́ pios numerabo labores.
Hic pars cornigeri pandit monumenta Magistri,
Factáue pertexit regum, populíue per æquor
Hebræi reditus, & quæ miracula duræ
Præstitit in vasta plebi DEVS almus eremo;
Aut veterum docet interpres præsagia vatum,
Aut canit historiam CHRISTI, fontemq́ salutis
Humanæ reserat: vel quæ dedit aurea Paulus,
Aut quæcunq́ nouæ pertexit dogmata legis.
Pars veterum ambages, & inextricabile Patrum
AEquor adit, tacitoq́ aperit mira arte recessus,
Et veros monstrat sensus: pars deniq́ pugnat
Et docet hæresiωn laqueos vitare latentes:
Omnes hic labor vnus habet, & cura remordet,
Vt possint seruire Deo, CHRISTIq́ fidelem
Instituant populum: vos terq́ quaterq́ beati,
Quorum sudati penetrant ad celsa labores
Sydera, & æternæ lucrantur præmia vitæ.
Tu tamen, Iliacæ moles erepta ruinæ
Quem tenet, ad tractus quâ ducit recta Latinos
Proportis via, qui meritis tua numina donis

Rite colunt, & testudiis orare Patronum:
Non cessant sacris, si quid mortalia curas,
Relligioq; tibi cordi est, ne desere Mystas
Diue tuos, atq; illorum fœliciter ausis
Annue; crescat honos, Christiq; Ecclesia crescat.

ALBERTVS HVNGERVS.

TRANSEO nunc bonis auibus ad Reuerendum, Nobilem, Magnificum & Amplissimum virum, D. ALBERTVM HVNGERVM, SS. Theologiæ Doctorem ac Professorem ordinarium, florentissimæ huius Academiæ Procancellarium dignissimum, de quo sanè eò breuior & angustior nostra erit oratio, quò minus ille mundanæ appetens gloriæ, atque vulgaris auidus est laudis. Verumenimuerò, cùm singulares & præstantissimas tanti viri virtutes maximis non efferre laudibus nefas penitùs existimem; illas hoc in loco, si non orationis vbertate atq; elegantia, simplici saltem verborum contractione, solidaque rerum veritate meritò sum decantaturus.

ALBERTVS noster Hungerus in vitalem editus est lucem, Anno salutis instauratæ cIↃ. IↃ. XLV. in oppido Bauariæ Kelhaim ad ripam Danubij sito, vbi piscifer fluuius Almonius, vel Altemylus in Danubium influit, & vinum leue, neque omnino tamen contemnendum, in vicinis montibus crescit; Illuc propter aëris salubritatem, cùm Ingolstadij pestifera lues gliscceret, aliqui ex iuridici Collegij Doctoribus, S.mi Boiorum Ducis GVLIELMI Quarti concessu, tum commigrârant. Inter illos autem erat VVolffgangus Hungerus Alberti Parens, Iureconsultus clarissimus, atque Iuris Institutionum ordinarius

Patria D. Hungeri.

Parens D. Hungeri.

Professor, cuius eximias laudes aliquantò copiosiùs hîc eram celebraturus, nisi eas potiùs ad secundum Ingolstadiensis Academiæ Tomum, in quo benignitate præpotentis Dei aspirante, Iurisprudentiæ, Medicinæ, liberalium artium Philosophiæque Professores, primo quoque tempore memorabo, certus ordo reseruaret.

Parentis egregia laus.

AD excelsum profectò dignitatis fastigium VVolffgangus ille, vir æterna memoria dignissimus, ita gradatim ascendit, vt ex Iureconsulto Legum Professor, qui duos Principes Illustrissimos, Albertum Bauariæ & Vdalricum Megalopurgi Duces, &c. auditores habuerit; ex LL. Professore, summi Tribunalis Imperij Germanici, & Cameræ apud Spiram Nemetum Assessor; ex Assessore Reuerendissimorum Illustrissimorumque Principum, Henrici Comitis Palatini, Ducis Bauariæ, &c. ac Leonis Leschij Præsulum Frisingensium Cancellarius sit factus.

O VIRVM illustrem, ac si qua alia virtutis, eruditionis nominisque sui monumenta posteritate reliquisset nulla, quæ quidem partim iam edita, partim nondum edita reliquit complura: Historia certè Cuspiniani de Romanorum Imperatoribus, quæ diligenti illius opera tum emendata, tum doctissimis annotationibus aucta in lucem prodiit, clarum atque celebrem: Hæc est enim illa vera gloria, hæc est illa solida virtus, quæ profundas egit radices, atq; etiam nunc propagatur in liberis: Quas enim laudes in Albertum filium natu maximum, lumen Academiæ nostræ splendidissimum, non congeram? Quibus verbis VVolffgangum natu minorem, clarissimum Iuris vtriusque Doctorem, & Illustrissimi Principis, Philippi Marchionis Badensis, Consiliarium dignissimum, qui Parentem & nomine & doctrina æmulatur, hîc ornem?

Fratres D. Alberti.

Quid

Quid de Leone natu minimo, Legalis disciplinæ candidato, & Reuerendissimo Episcopo Viennensi à secretis, dicam?

ATQVI nec filij tantùm, sed & filiæ hanc domum Hungerianam illustrant insigniter: Namque Annam filiam grandiorem natu in Matrimonio habet D. Ioannes Lonçus Boscius, Doctor Medicus, & cùm Medicinę, tum Matheseos, in hoc nobilissimo bonarum literarum domicilio, Professor ordinarius, vir grauitati deditus, & tam Græcis, quàm Latinis literis, adeoq; abundanti doctrina, in vniuersa optimarum disciplinarum Encyclopedia, præclarè ornatus.

Sorores & Affines D. Alberti.

ALTERA filia Maria, Beatæ Mariæ Virginis exemplum sequuta, virginitatem suam Deo vouit, & Ingolstadij ad D. Ioannis in Valle beata Christo nupsit. Minor natu Ioanna, Coniunx est D. Michaëlis VVestermarij Iurecōsulti, Ill.moq; Principi Philippo Marchioni Badensi, &c. à Consiliis. Hæc pluribus alio in loco verbis sunt dicenda, quæ nunc paucis percurrit oratio mea.

Optimam partem eligens.

Quid verò de materno sanguine loquar, qui mirificam virtutis indolem in liberis plerumque augere solet? Habuit enim Albertus nôster matrem, fœminam præstantissimam; Annam scilicet, Georgij Bohemi Cuspinij Saliceti, Iuris vtriusque Doctoris clarissimi filiam, de quo in altero Tomo laudes sum habiturus, quòd Ingolstadij & Sextumuiratum, & Iurecōsultorum Collegij Decanatum gesserit, quòd insuper primùm Episcopi Frisingensis, deinde Patauiensis Cancellarius fuerit, vir & politiori literatura, & Poësi eleganter excultus, &c.

ILLVD hîc saltem nequaquam reticendum puto, quòd non solùm VVolffgango Hungero, nostri Alberti piissimo Parenti, in Comitiis Augustanis, Anno 1555. ab

Insignibus Nobilitatis ornata est hæc familia.

Augustissimo Romanorũ Imperatore Ferdinando Nobilitatis decora delata fuerint; sed & idem Diuus Imperator iam antè Hagenoæ, Anno 1540. Georgium illum Bohemum, eiusdẽ Alberti nostri Auum maternum, ob egregias illius virtutes atque insignia in Rempub. merita, pręclaris Nobilitatis insignibus ac priuilegiis clementissimè & plenissimè exornârit.

SED redeo iam ad ipsum Albertum Hungerum, virum Parentibus, Auo, maioribusq; suis dignissimum, qui, cùm à puero spem Parentibus magnam afferret summæ probitatis summæque eruditionis, & operam humanioribus literis nauaret assiduam; Albo studiosorum Ingolstadiensium inscriptus est, Id. Septemb. Anno 1557. sub Rectore Magnificentissimo, Illustri ac Generoso Domino, D. Gulielmo Scaligero, ex antiqua Ducum Veronensium Familia oriundo, &c. Et Prorętore, Nobili atque Magnifico viro, D. Ioanne Baptista VVeber, Iureconsulto, & Institutionum Iuris ordinario Professore, qui sub Maximiliano II. Imperatore S. Romani Imperij Procancellarius fuit, ac Diuo Rodolpho II. Cæsari etiamnum à secretioribus est Consiliis, &c.

Inscriptus Albo Studiosorum.

ATQVI adolescens, ad laudem & decus natus, integro Philosophiæ curriculo feliciter confecto, ætatis suæ Anno 17. supremam Philosophici Doctoratus dignitatem, in hac Catholica celeberrimaq; Ingolstadiensi Academia, summo cum Præceptorum suorum consensu, publicè ac solenniter est consequutus.

Philosophiæ Magister creatur.

POSTEA Romam profectus, & in Collegio Germanico triennium vltra suis sumptibus commoratus (Nondum enim ea, quæ nunc est, Collegij Germanici facies ac largitas erat) tantas in assiduis S.S. Theologæ studiis, quæ hîc cœperat, progressiones fecit, vt Anno 1566. ex Vrbe reuer-

reuerſus, & in itinere, Patauij Venetorum Formatus Baccalaureus (qui iam tum etiam Doctoratum Theologicum facilimè potuiſſet obtinere, ſiquidem voluiſſet) à celeberrimo illo Hieronymo Vielmio, ex cõſenſu & approbatione Theologorum Patauienſium, creatus, ſingularem tum Boiarici Ducis gratiam, tum Senatus apud Ingolſtadienſes Academici beneuolentiam ſibi conciliârit.

SS. Theologiæ Baccalaureus Formatus creatur.

QVOCIRCA, tanquam ſpeculator venatorque naturæ acutiſſimus, Anno 1567. vixdum vigeſimum primum ætatis annum egreſſus, grauem naturalis Philoſophiæ Profeſſionem ſuſcepit, ac rerum abſtruſarum cognitione doctrinaque vehementer delectatus, eam, cuius & ego partem ex illo pôſt audiui, ſumma cum laude & diligentia perſpicuè dilucidauit. Diſputationibus quoque Dominicalibus, Facultatis Philoſophicæ nomine, toto ferè illo Profeſſionis ſuæ Philoſophicæ tempore, præfuit, & ita quidem ſe in diſſoluendis incidentium quarumcunque difficultatum nodis ſagacem, ſubtilem, dextrum cõprobauit, vt vel hinc eximij Philoſophi exiſtimationem ſuo merito apud omnes tulerit.

Fit Profeſſor naturalis Philoſophiæ.

Hoc inſuper magna in laude ponendum cenſeo, quòd ſtatim poſt primum Profeſſionis ſuæ annum, Anno videlicet 1568 8. Cal. Maij, quæ dies D. Georgio Martyri erat ſacra, abſens, nouo exemplo, quod, quantum quidem ego ſcio, nulli alteri contigiſſe legitur, legitimis collectis Senatorum Academicorum Suffragiis, Magnificus Almæ huius Academiæ Rector ſit electus atque proclamatus: Sub cuius felici adminiſtratione in Album Studioſorum relata ſunt vltra ſeſquicentum nomina: Quod Rectoratus Academici munus, quomodo gerere ſolitus ſit, ex illo infrà quoq; citãdo clariſſimi viri Domini Mentze-

Abſens eligitur Rector.

hij carmine testari visum est: Sic enim ille inter cætera meritò collaudat Hungerum nostrum:

Et memini, sic certè alios audisse fatentes,
Et subscribo lubens iisdem, ac liberrimus aio:
(Nec verbi moror inuidiam) te tale gerentem
Munus, in innumeros pateat licet vndiq; Momos,
Sic tamen ad rectam solidæ rationis amussim
Et texisse bonos, & castigâsse nocentes,
Vt iustè clemens, iustus clementer vt esses;
Nec rigidè gestum quicquam, gestúmue remissè
Lyncea fama tibi queat obiicere: hacq; vel vni,
Vel tibi cum paucis concessum laude potiri.

SS Theologiæ Licentiam consequitur.

ANNO autem 1570. cùm in magnis occupationibus nunquam intermisisset studia sacra, iamque ad ampliorem expectaretur dignitatem, SS. Theologiæ Licentiam consequutus, & à Professione Philosophica ad Theologicam meritò euectus, successit Reuerendo atque doctissimo viro, D. Georgio Theandro, Doctori Theologo, & Vniuersitatis Procancellario, qui 15. Cal. Febr. è viuis excesserat. At quàm laudabiliter, & quàm fructuosè iam decennium vltra in hunc vsque diem præclaro hoc Theologicæ Professionis munere fungatur, in propatulo testatur veritas. Quanta enim, & quàm profunda sit eruditione præditus, tum ex aliis monumentis pluribus, quę temporis progressu in lucē diuulgabit, perspici poterit, tum ex doctissimis disputationibus compluribus non modò Philosophicis, sed & Theologicis hîc excusis publiceq; propositis dilucidè apparet. Audiuimus illum magna cum admiratione Anno 1571. Idus Quintil. grauissimè disputantem, sua doctissimè confirmando, aduersaria fortissimè conuellendo: Postridiè namq; vnà cum Reuerendo, Nobili Amplissimoq; viro, D. Martino Eisengreinio, &c.

Fit Professor Theologiæ.

solen-

ſolenniter atque honorificè S. S. Theologiæ Doctor eſt inauguratus: Cui Dominus Philippus Mentzelius P. L. & iam Medicinæ Doctor ac Profeſſor apud Ingolſtadienſes ordinarius, vir omni doctrina & virtute ornatiſſimus Bononiæ gratúlatus eſt, carmine grauiſſimo, quod cùm Bononiæ excuſum in paucas fortaſsè apud nos manus deuenerit, vt hîc iam recudatur, operæpretium duxi: Equidem & breue tum ſcripſi carmen congratulationis ergò, quod ad operum meorum Tomos iam breui in lucem, Deo volente, hîc edendos lubens reſeruo. Quàm mirificè autem delectetur plurima librorum tam veterũ, quàm recentium lectione, & quàm vberes ex iis hauriat fructus, non ſolùm diſputationum publicatio, & Theologica Profeſſio, vbi ſemper aliquid ſingulare & memorabile, præter eruditiſſimos commentarios, in medium obiter adfert; ſed & admirabiles illius orationes, flexanimæ, rerum reginæ, vt cum bono Poëta loquar, antiquitatis plenæ, & cõſperſæ quaſi verborum ſententiarumque floribus, maniſeſtiſſimè teſtatur. Quamuis enim hactenus ex plurimis, quas ſolenniter habuit, ſiue vt Profeſſionum ſuarum Philoſophicæ & Theologicæ Promotor, ſiue vt Procancellarius, ſiue etiam vt defuncti Procancellarij Domini Eiſengreinij vicem multoties gerens, quædam typis ſunt excuſæ; legemus tamen primo quoque tempore, vt ſperamus, plures adhuc excudẽdas. Tanta profectò ex illis orationibus elucet grauitas, ſuauitas & eruditio, vt non tantummodò Catholicos auditores, verumetiam à Religione noſtra alienos in ſummã rapiant admirationem. Hinc ſanè factum, vt non tam ratione primarij muneris, quod in hac Vniuerſitate proximè poſt Rectorẽ obtinet, quàm propter ſingularem prudenter ornateque dicendi facultatem Principes ac Proceres ad Academiam noſtram venientes

SS. Theologiæ Doctor inauguratur.

Vir plurimæ lectionis.

Orator inſignis.

nientes

nientes iam in tertium annum Procancellarius Academiæ nomine ferè ſemper exceperit, vt quidem Reuerendiſſimum Principem, Dominum Martinum, Epiſcopum Aichſtadianum, & Academiæ Cancellarium Ampliſſimum menſe Decembri, Anno cIɔ. Iɔ. LXXIX. hâc Monacum ad exequias Sereniſsimi Ducis Alberti proficiſcentem; Reuerendiſsimum Dominum Felicianum Ninguardam, Epiſcopum Scalenſem, Nuncium Apoſtolicum, & S. D. N. Gregorij XIII. cum poteſtate de latere Legatum, Anno 1580. hâc tranſeuntem Ratisbonam; Sereniſſimum Principem Gulielmum, vtriuſque Bauariæ Ducem, eodem anno 80. noſtram vrbem in primo regiminis ſui initio de more ingredientem, & Reuerendiſsimum Illuſtriſsimumq; Principem Gulielmi fratrem, D. Erneſtum, Boiorum Ducem, hâc ad Hildesheimenſem Epiſcopatum abeuntem.

Poëtices amator.

CVM verò, teſtante Latinorum Oratorum Principe, M. Tullio Cicerone, finitimus Oratori ſit Poëta, numeris aſtrictior paulò, verborum autem licentia ſuperior, facilè intelligens Albertus noſter, quàm præclara emendatrix vitæ ſit Poëtica, quàm effictos noſtros mores in alienis perſonis, expreſſamque imaginem noſtram vitæ quotidianæ in ea videamus; quàm denique ſingularis eruditio & recondita ſapientia in ea comprehendatur; à Poëſi vſque adeò non abhorret, vt præter alia carmina, quæ grauiter ipſe compoſuit, Anno 79. Aureum Catholicarum precum libellum, ex vetuſtiſſimis atq; recentioribus Eccleſiæ Doctoribus ac Poëtis, à ſe ſtudioſiſsimè collectum in lucem emiſerit. Hoc mediusfidius ampliſsimis ornandum laudibus, & poſteritati meritò conſecrandum eſt, quòd Procancellarius hîc noſter Hungerus remis veliſq; grauiter elaboret, vt Academia noſtra pulcherrimo Poëtas

tas Laureatos coronandi priuilegio à Summo Pontifice & Diuo Romanorum Imperatore, quàm primùm luculentiùs exornetur. Nec sanè paruum huius rei iam fecit initium, in certam spem deductus, hoc negotium primo quoque tempore feliciter expeditum iri.

QVOD si præstantissimas viri huius virtutes gloria & prædicatione, pro eo sanè ac merentur, dignè efferam, in eo certè pietatémne magis, an eruditionẽ pulcherrimam admirer, prorsus non intelligo: Pari enim inter se conuenisse ratione ac mensura dixeris: Pius est Albertus noster in Deum; pius erga fratres, sorores, sanguine & affinitate iunctos; pius in pauperes, orphanos & viduas; officiosus in plurimos; humanus erga omnes; meritis in Rempub. literariam grauis, in veram & Catholicam Religionem grauissimus.

Pietas & eruditio singularis.

AN non igitur omnium iudicio lõgè dignissimus est, qui amplissimo virtutis præmio, gloria & omnibus iisque maximis honoribus, cumuletur?

DIGNISSIMVS est habitus, quem Academia nostra, Anno 68. absentem, vt superiùs dixi, in Rectorem elegerit:

Rector Vniuersitatis.

DIGNISSIMVS est habitus à Senatoribus Academicis, qui Illustris Domini, Domini FRIDERICI, Comitis in Oetingen, & huius Academiæ celeberrimæ Rectoris, &c. Prorector, Anno 1572. in festo S. Lucæ sit electus publiceque declaratus. Dignissimus est habitus, qui Anno 1573. voluntate ac suffragio huius inclytæ Academiæ secundò Rector sit creatus.

Prorector.

Rector secũdus.

DIGNISSIMVS est habitus, qui administrator vicarius siue Prorector Illustrissimo Principi ac Domino, D. Philippo, Marchioni Badẽsi, Comiti in Spõheim, &c.

Prorector secundò.

Mm Ma-

Magnificentissimo Ingolstadiensis Academiæ Rectori, in festa S. Georgij luce Anno 1574. adiungeretur.

Decanus Collegij Theologici sæpenumero.

DIGNISSIMVS est habitus à Collegio Theologico, qui Decanatus Theologici dignitate & officio, quod semper præclarè gessit, sæpius condecoraretur: Dignissimus est habitus à Serenissimo Principe ALBERTO, qui D. EISENGREINIO, viro optimo & clarissimo, vir optimus & clarissimus, in Viceccancellariatu Scholæque inspectione Anno 1578. succederet. Dignissimus est habitus, qui Canonicatu Cathedralis Ecclesiæ Aichstetensis huic Vniuersitati olim incorporato perfrueretur, & cui Præpositura Collegiatæ Munsteriensis ad S. Tyburtium, quæ hoc Anno 1581. Strubingam (vbi quartum Ducale est regimen, & magna loci opportunitas) feliciter est translata, sponte quondam offerretur; quam tamen ipse à se ante triennium abdicauit. Dignissimus, qui Anno 68. Passauium honestissimo stipendio prouocaretur, vt Reuerendissimi Principis illius Theologum & Commissarium Ecclesiasticum ageret; dignissimus, qui Anno 71. à Reuerendissimo Episcopo Aichstetensi, in Collegij sui VVilivvaldini Præsidem, expeteretur, à cuius susceptione muneris, auctione prioris stipendij, & benignissima pollicitatione Serenissimi vtriusque Bauariæ Ducis ALBERTI abstractus Ingolstadiiq; retentus fuit; dignissimus item, qui Anno 76. ad primariam Professionis Theologicæ Cathedram in Catholicam quoque & celebrem aliam Academiam inuitaretur: Quas tamen externas conditiones omnes amori Patriæ Patrumque Patriæ Illustrissimorum vtriusq; Bauariæ Ducum hactenus postponendas iustis ex caussis existimauit; dignissimus tandem habetur ab omnibus, qui splendidis Sacerdotij bonis quàm primùm augeatur, vt propensam in omnes volun-

Vicecancellarius & Scholæ Superintendens.

Canonicus Eystetensis.

Præpositus Collegiatæ Ecclesiæ Munsteriēsis ad S. Tyburtium.

Passauium à Reuerendissimo Episcopo vocatus.

Item Aichstadium.

Item aliò ad primariam Professionis Theologicæ Cathedram.

voluntatem eò liberaliùs ostendere, ac de Repub. indies magis magisque promereri possit.

FAXIT DEVS præpotens ille mundi Procreator, vt optimus hic optimarum virtutum Patronus, ALBERTVS HVNGERVS, dignissimum virtutibus, meritis atque laboribus suis præmium, tum in hac præsenti, tum in futura vita apud cœlites consequatur, AMEN.

AD REVERENDVM ADMODVM, ET AMPLISSIMVM VIRVM AC DOMINVM, ALBERTVM HVNGERVM, SS. Theologiæ Doctorem & Professorem, Vicecancellarium, Canonicum Aichstadianum, & Academiæ inspectorem benignissimum,

CARMEN VALENTINI ROTMARI.

SI bene apud memores recti stat gratia facti,
Si qua pios Cœli respectant numina; si quæ
Dij bene pro meritis iam nūc quoq; præmia reddunt,
Ceu nondum excutiunt Superi mortalia corde,
Et memores semper fandi sunt atque nefandi,
Quæ grates, quæ digna suis tua facta sequantur
Præmia iam meritis? quæ quondam, HVNGERE, dabuntur?
Nam sua si pietas, & habet præconia vitæ
Integritas, non te Superûm reuerentior alter,
Nec quisquam sine labe magis: te nulla mouere
Fallacis possunt malesana negotia mundi,
Quicquid habes vitæ, quicquid tibi temporis almus
Iam facit ire DEVS, studiis iterum omne Deoq;
Et precibus ponis: tibi candida pectora, nullus

Inuidiæ stimulus, pax est concordia curæ.
At quàm nulla tuum malesuada superbia pectus
Infestat, quàm nullus amor, laudumq́ cupido:
Qualia nunc hominum nequam fert pectora mundus.
Te Stagyritai perplexa volumina vatis
Imberbem, & rerum mysteria sacra Parentis
Disserere, & dubios memini dissoluere nodos:
Quid? quòd & absenti Patrum venerabilis ordo
Et iuueni Boius quondam commisit Athenas,
Atque iterum fascesq́, iterum tibi credidit vni?
At superis postquàm fato concessit ab oris,
Et viuos inter iam desiit esse THEANDER,
Aggrederis maiora Pater, Sophiaq́ relicta
Tradis Aquinatis iam longo tempore THOMÆ
Dogmata, & hæreticas contra tela aspera turmas
Exerces, atque in dubiam descendis arenam
Sæpius, aduersæ temnens arma omnia partis.
Hic labor, hoc opus est, quod te noctesq́, diesq́,
Afficit, & somnos adimit, corpusq́ fatigat.
Quin etiam nuper, tristi cùm ferueret æstu
In Cælo sydus, pecudiq́ hominiq́ minando
Funestis radiis portenderet omnia dura:
Quattuor exactis post mersum mensibus ignem,
(Illachrymor referens) fatis ereptus acerbis
Quando foret nostris Pater EISENGREINIVS *oris,*
Ille EISENGREINIVS, *meritis præstantibus ingens,*
Nobile Musarum decus, & dulcissimum Asylum,
Te Princeps, HVNGERE, *Scholæ præfecit, & vnà*
Vt Musis, iussit, Vicecancellarius esses.
Si licitum numero mortalia corpora Diuûm
Inserere, & sacris homines venerarier aris,
Ceu vetus Augusto nimiùm stultè obtulit ætas,

Farer

Farer ego quicquam, tua magna modestia sed me
Præcipit ad fandum compescere labra paratum.
Dij tibi dent longa fœlicia tempora vitæ,
Nec terris tantum ostendant te fata, sed vltra
Teq; tuosq; frui patiantur Nestoris annos,
Ceu tua relligio, pietas virtusq; meretur,
Nos precor aspectu: votorum hæc summa meorum est.

AD REVERENDVM, OMNIQVE PIETATIS ET ERVDITIONIS LAVDE CVMVLATISSIMVM VIRVM, D. ALBERTVM HVNGERVM, S.S. Theologiæ, in florentissima Ingolstadiensi Academia, Professorem ordinarium, ob supremam eiusdem studij Theologici Lauream ibidem ipsi collatam,

CARMEN GRATVLATIONIS ergò scriptum à PHILIPPO MENZELIO P. L.

HOC precor, hæc nostris pars multò maxima votis
Semper inest, vtinam Diuos habitura secundos,
Vt, quæ Teutoniæ dulci venit orbe profecta,
Fama mihi vultu redeat constanter eodem,
Qualis erat, quum te studiorum in vertice summo
Victorem merita retulisse insignia laudis,
Nuper ouans caneret, tantiq;, HVNGERE, triumphi
Lætitiam, plaususq; nouos, pompamq; frequentem.
Scilicet expectem veniens optatior alter
Vt mihi sollicito fors nuncius impleat aures?
Dum repeto primos, pueri quos egimus, annos,

Protinus ex illo certè pars nulla tuorum
Egregiis in me meritis vacat: Omnia prudens
Cætera, quæ longum est, nec opus meminisse, tacebo:
Quòd supero, saluusq́ fruor vitalibus auris,
Hoc mihi post Diuos, & opem miserantis Olympi,
Proximus ille sua LONÆVS *contulit arte,*
BOSCIVS, *affini iunctum quem sanguine tangis,*
Idem iter ingresso longum, Phœbiq́ salubris
Militiam Dux ille mihi fidissimus alter
Ante tulit gressum, dedit arma, animosq́ Magister.
Quid memorem, puerum puer vt dilexeris olim
Ipse, Camœnarum me fundamenta locantem,
Hærentemq́ tuo lateri, tam tumq́ beatum
Flumen hoc ingenij, & cœlestia dona stupentem?
Grandior hinc ætas subiit: mutauimus annos,
Et studia, & mores: & te tua cognita virtus
Non semel eximiis cumulauit honoribus auctum:
Nec tamen intereà nostri tibi cura recessit
Pristina, nec mutatus amor, nec gratia pulsa est.
Quippe quòd & meritus benè multa, & plura mereri
De nobis cupidus, dederis non irrita signa,
Quàm veterem veteri digneris amore sodalem,
Qui vix ingenti tardissimus interuallo
Subsequitur, nimiùm tibi rebus ab omnibus impar.
Ergò nostra licet iam puluere plena quiescat
Barbitos, & ruptis sit muta, sit abdita neruis,
PROGGELII *dum fata mei, dum funus acerbum*
Indignans mecumq́ gemo, minimeq́ coactis
Prosequor, heu, lacrymis, & Musas damno canoras,
Maioresq́ vocent aliò data tempora curæ:
Fama tamen veniens adeò exoptata, repentè
Nescio qua cupidam reficit dulcedine mentem:

Carmina

Carmina iam neglecta placent: stat fragmina rupta
Colligere ipsa lyræ, gratantesq́ edere versus.
Tu mihi, quæ Diuos, Diuûmq́ oracula nôsti,
Huc ades Vranie, precor, & fer munera sacro
Digna die, qualem Paradisius educat hortus,
Perpetuam Laurum, solidaq́ ex laude coronam.
Insuper & festas frondes per compita, & inter
Coniice purpureos argentea lilia flores.
Ipsa mihi, pompa iam procedente, iuuentus
Ceratas quatiens flammas ferat antè: superq́
Missilia in lætum dentur munuscula vulgus.
Te verò, hi plausus, atque hæc quem publica spectant
Gaudia, quiq́ nouo caput insignitus honore
Progrederis, qua voce canam? quo flumine fandi,
HVNGERE, excipiam? vel quo satis ore rotundo
Gratabor partos docta virtute triumphos?
Salue Boiariæ clarum decus, alter ab ipso
Hæreseωn domitore, iugo, face, fulmine, busto,
Magno EISENGRYNIO: salue noua fama tuorum,
Qui transcendis Auos, exempla domestica vincis,
Et viua virtute magis, quàm laude relicta
Fultus inextinctum mittis super æthera nomen.
Atque vtinam Phœbo mihi tam præsente liceret
Vtier, inq́ tuas dare vela patentia laudes:
Non ego transierim vel digna Meronide Musa
Dona tot, ornatum doctrinæ, & pectoris alti
Diuitias, variumq́ decus, sanctosq́ labores.
Nunc votis successus abest, & carmine rapto
Extremas rerum mihi stringere vix datur oras.
Sed neque, qui Lauros, Cedrumq́ merentia cantant,
Istriaci vates, animo gratissima nostro
Pectora, non eadem longè, lateq́ sonoro

Certatim

Certatim sublimè ferent ad sydera versu.
Hi prima aggressi laudum cunabula, dicent
Et genus, & multa cumulatos dote Parentes:
Hinc quasi Phœbeam tenebrosi lampada Iuris,
VVOLPHGANGVM genitorem, a qui quem SPIRA tribunal
Supremum, quà se Romana potentia terris
Explicat, audiuit populis oracula dantem;
Audiuit Bauari Doctorem maximus orbis
ALBERTVS Pater ipse: & quem præcocia passum
Funera fleuerunt ripæq; binominis Istri,
Isaraq;, & patriis Oenus tunc auctior vndis:
Hinc porrò referent non inferiore Camœna
Illustrem, tua quam mater multò optima famam,
HVNGERE, emeruit: referent quæ cura sacrorum,
Quodq; illi fuerit studium, prudentia quanta.
Plusquam fœmineo sub pectore. Id insuper addent,
Vt chari post fata diu defleta mariti,
Aethera concipiens animo, sedesq; beatas,
Incertosq; obitus, & amaram funeris horam,
Sacrârit seseq; DEO, ac sapienter in illum
Transtulerit cunctos vitæ mortalis amores.
Qualis apud Solymos quondam Phanuelias Anna,
Noctes atque dies templi sacra limina seruans,
Implebat Cælum precibus, Diuosq; vocabat,
In sanctis viduos ducens mœroribus annos.
His vbi doctiloquo fuerit sua gloria cantu,
Perq; solutus honos, venam tum carminis omnem
In te te, ac proprij laudes traducere Martis
Conueniet. Quantum verò mare, quamq; patentes
Hic iterum campos Musis sit obire necessum!
Altiùs, atque velut capite arcessantur ab ipso,
Nanque opus est, laudata tuæ decora omnia vitæ.

Nec modò cantandum, quæ vis, quæ gratia fandi,
Verborumq; lepos, quàm melle fluentia labra
Insideat Pitho, linguaq; sit amplius vna
Os tibi facundum; nec quòd florentia Tempe
Fælicis Sophiæ multumq; diuq; pererrans,
Dædaleæ latebras Naturæ intraueris imas:
Id verùm dictis vnum magis omnibus addi
Postulat, & plectro longè est grauiore canendum:
Quòd pietatis iter non molle secutus, & alto
Pectore proculcans, vulgo quæ summa putantur,
Gloriolam, fastusq; breues, perituraq; vitæ
Gaudia, te CHRISTI vigilem sacraueris aræ
Custodem, curis flagrans melioribus intus,
Dum gemino testata libro mysteria Diuûm
Rimaris, Patrum dum fida volumina versas:
Nec tædet longam studij tam nobilis ergò
Ire viam, nec te Romanum inuisere Tybrim.
At quis enim tacito, nisi mutus, & inuidus, ore
Dissimulet, iuuenis quæ cognitione sacrorum
Tot senibus rude donandis, eademq; professis
Tu praeas, nulli calamo linguáue secundus?
Boiarus hoc orbis iactat: scit Teutona tellus
Omnis: & Istriaci nouêre theatra Lycei,
Quæ mirata tuam, sacris de rebus agentis
E docta vocem Cathedra; tum mentis acumen,
Quodq; adeò paucis vix vsu trita senectus
Iudicium prudens acuit; mirata nitorem,
Iurataq; DEO vitæ iubar, & sine fœdo
Crimine conspicuos, famæ sine vulnere mores.
Ipsa vltrò Regem sibi te legêre, tuisq;
Gauisi imperiis populosq; Patresq; fuêre.
Et memini, sic certè alios audisse fatentes,

Et subscribo lubens iisdem, ac liberrimus aio:
(Nec verbi moror inuidiam) te tale gerentem
Munus, in innumeros pateat licet vndique Momos,
Sic tamen ad rectam solidæ rationis amussim,
Et texisse bonos, & castigâsse nocentes,
Vt iustè clemens, iustus clementer vt esses;
Nec rigidè gestum quicquam, gestúmue remissè
Lyncea fama tibi queat obiicere: hacq; vel vni
Vel tibi cum paucis concessum laude potiri.
Hæc verò, nobis quæ vix à limine primo
Tacta vides, & quæ vix tactis plura supersunt,
Latiùs Istriacis linquo fundenda Poëtis,
Queis Musæ faciles, & diuitis ingenij vis.
Hîc equidem raros videas Helicona bibentes:
Torpent Pierides: paucis comitatus Apollo
Irrisas inter Lauros spatiatur; & audit
Insanus Vatum labor: ipsi fabula Vates.
Ergò ego laxatis fidibus, citharaq; repôsta
Absistens, mutæ reddam me Pæonis arti:
Nec tamen hoc creber repetens non antè monebo,
Hortator fuero quamuis inidoneus, vt te
Labenti impendas Patriæ, tam tempore duro,
Quo pietas, quo prisca Fides, rectiq; cupido,
Extremos hominum sunt deportata sub Indos.
Siquid sacrorum tenebris, si nocte tegatur,
Quod trahat in præceps, incautaq; pectora fallat,
Tu radios adhibe, tu (nam potes) assere lucem,
Hæreticasq; aperi fraudes, artemq; Pelasgam.
Illa (viden'?) Petri nauis quo turbine fertur!
Quæ vada, quos scopulos, quam non experta Charybdin,
Per medios hostes, per mille prementia tela!
Illa tibi se commendat: te fessa precatur,

Sub-

Subsidio venias: nam plures nacta Magistros,
Quos optare solet, similes, instructaq; tali
Remigio, casus audentior iret in omnes:
Tartareus quamuis scelerum pater ipse Sathanas
Infestas hyemes, miscens maria vndique Cœlo,
Effundat, centumq; acies, centum agmina contrà
Armet agens, Orcumq; ferox immittat apertum:
Quamuis Hæreseωn, tali quæ plurima Ponto
Monstra natant, Cadmæa cohors, cui mutua semper
Prælia dant stragem, concordiaq; omnis in hoc stat,
Quòd iunctis vexent odiis, ac viribus omnes,
Fœdifragi nauem, quam deseruere, Petrinam,
Hinc atque hinc variis quamuis assultibus instent:
Nec desint qui se, sua qui iam castra relinqui.
Quum videant, fœdis fusi, dirisq; suorum
Vulneribus, (nec enim manifesta abscondere possunt)
Lilia si casura tamen, si Punica grana,
Impia spes data sit, maior licet hostis haberet,
Dum sanctam iactura ratem modò tangeret, vltrò
Ingentes tollant animos, ipsiq; coronent
Si quasi victores. En magni causa Triumphi.
Nate Dei, cuius manet immutabile Verbum,
Et promissa fides, quæ vel priùs axis vterque
Cælorum frangetur, & hæc amplissima rerum
Machina fumus erit, tu, qui tua signa secutis
Affore te dixti, dum terra manebit & æther,
Tu medios æstus inter, mundiq; procellas
Ipse gubernator fluitantem dirige puppim,
CHRISTE, *tuam: vigiles Cœlo demitte ministros,*
Remigium supple: cunctum defende furorem,
Tergeminiq; minas hostis: tu pectora Regum
Ad tua reflectas miseratus sacra: domumq;

Boiaricam, veraq́; Duces pietatis Atlantas,
Numine propitio serues: da pulsa facessat
Tandem dira fames: fugiat, da, corpora morbi
Triste, nouumq́; genus: non altera classica posthac
Audiat, heu nimiùm ciuili sanguine pridem
Orbis vbique madens, quàm quæ concessa nouare
Prælia, Marte pio moneant quæ tendere contrà
Hostem, CHRISTE, tuum, vastatoremq́; tuorum,
Infandum Mahometiaden, fœlicibus æquè
Auspiciis, precor, vt nuper te perfidus ille
Sensit, Turciacis ad Echinadas ossibus albas,
Quum genti supremæ tuæ, dirumq́; pararet
Impius exitium, manifesto numine coràm
Sternentem letho, captosq́; in vincla trahentem
Millia multa virûm, tot classes montibus æquas,
Sacrilego vt flueret rubicundus sanguine Pontus.
Hæc precor, hæc precibus, Pater ô, non abnue nostris.

CASPARVS FRANCVS.

ETSI sanè quàm plurima de præclaris virtutibus atque egregiis D. CASPARI FRANCI, Doctoris Theologi, laboribus à me commemorari possint: Veruntamen, cùm de viro clarissimo, etiamnum in hac vita commoranti, mihi sit dicendum, ne aliquid auribus dare videar, neu in assentationis suspicionem fortaßè veniam; ea tantùm breuiter hîc scribenda existimo, quæ publicè patent, & nota ferè sunt omnibus.

Dies natalis D. Franci.

NATVS est igitur CASPAR FRANCK 4. Non. Nouemb. in Festo omnium Animarum, Anno 1543. in ciuitate Misniæ Ortrandt, (vbi Parens eius Ludimoderato-

Patria.

rem

rem tum agebat,)atque à teneris(vt Græci dicunt)vnguiculis inter Lutheranos educatus,cum lacte hæresin suxit: Ideoque non,vt Arrius, Macedonius, Nestorius & alia Blasphemorum turba,ex animo damnatam viam elegerat,sed peccauerat seductus,& vt Paulus, ignoranter Ecclesiam Dei & Romanam primamque sedem persecutus erat,omnino existimans bene se agere,& recta se incedere via;neque verò suę mentis aliud erat obiectum,quàm publica vtilitas & amor veri: Quare singulari Dei dispensatione,qui dedit velle & perficere, Anno 1566. Ingolstadium,iam tum Philosophiæ Magister, venit, & aliquandiu in ædibus D. Eisengreinij commoratus, ac sanctissimis Religionis Catholicæ mysteriis, tum diligenti & assidua SS. Ecclesiæ Patrum lectione, tum frequentibus Theologorum colloquiis imbutus, errores agnitos vltrò abiecit,atque immensa DEI solius benignitate ad fidē & vnitatem sanctæ Romanæ & Apostolicæ Ecclesię,exemplo D. Augustini, Catholicæ Religionis Propugnatoris acerrimi & sanctissimi,totum se contulit;ea animi synceritate atque fortitudine,vt contemptis paternis minis,&, quæ ab Hæreticis imminebant periculis, ore se calamoque opponeret hæresibus, & omne potiùs capitis fortunæque discrimen subire vellet, quàm extra dulcissimum Ecclesiæ Catholicæ gremium errare.

Inter Lutheranos educatus.

Ingolstadij se ad fidem & vnitatem Catholicæ Ecclesiæ contulit.

INGOLSTADII igitur in Matriculam Academiæ; Rectore Raphaële Ninguarda, Iurecōsulto celeberrimo, in Mense Maio, Anni 1567. inscriptus, & per sesquialterum annum Theologicis studiis operam nauans assiduā, efficacissimas cōuersionis suæ causas in publicum edidit.

Inscriptus Ingolstadij in Matriculam Academiæ.

NEQVE his contentus, vt ardentem singularemque illius zelum, & ex animo factam conuersionem omnes apertè perspicerent, non tantùm vt pro viribus vulnera,

Ingolstadij cum magna solennitate, publicè in Tēplo D. Virginis Professionē Fidei Catholicę edidit.

quæ inflixerat veritati, curare eſt annixus, ſed etiam, vt eſt in fabulis, Sagitta, qua vulnerauerat, attulit opem; ſeu vt canit Eccleſia, Medelam inde tulit, hoſtis vnde læſerat. Quocirca, Anno 1568. Ingolſtadij 8. Cal. Febr. in ipſa feſta D. Pauli conuerſionis luce, habita priùs eleganti oratione ab eximio Oratore & Theologo, D. Martino Eiſengreinio, qua tanqnam ſpiritualis Pater filio, quem CHRISTO antè generauerat, ſumma lætitia congratulabatur; prouolutis genibus ante R. D. Suffraganeum in habitu Pontificali ſedentem, publicam Catholicæ fidei Profeſſionem iuxta Bullam S. D. N. PII Papæ IIII. in auguſtiſſima Diuæ Mariæ Virginis æde ingenuè fecit, vereque ſeſe ab hæreſi ad Catholicam rediiſſe viam, re ipſa & viua declarauit voce: Idque præſentibus Sereniſſimi Boiorum Ducis Alberti Legato, D. Georgio Neupeck, Abbate Schirenſi, viro doctiſſimo, & optimarum literarum Patrono optimo; Item Reuerēdiſſimi Epiſcopi Eyſtetenſis Legato, R. D. Leonhardo Hallero, Reuerendiſſimę illius Celſitudinis Suffraganeo, & D. Ioanne Iacobo Kuchnero, Vicario in Spiritualibus generali, qui doctiſſimam ibi concionem habuit.

Suſcepit Sacramentum Confirmationis.

EDITA igitur fidei Profeſſione, Sacramentū confirmationis ſignumq; Chriſti in fronte, tanquam ſede pudoris, ne CHRISTI opprobrium Chriſtianus, & tanquam nouus miles effectus erubeſceret, ſed animū ſumeret viriliter contra hoſtes pugnandi, ſuſcepit, adeoq; paulò pòſt detecto capite, vittaq; redimito ſuggeſtum alacri animo conſcendere, ſuæq; cōuerſionis cauſſas, vt, quod corde crederet ad iuſtitiam, ore ad ſalutē publicè confiteretur, Latina & eleganti oratione latiùs explicare nō dubitauit. Ediderunt tum etiam magna voluntate fidei Profeſſionem cōplures alij viri Nobiles & Excellentiſſimi; nimirum D. Ioannes

Rom. 10.

Qui alij tū Profeſſionem Fidei fecerint.

annes Egolphus à Knöringen, Patrinus tum factus D. Caspari, posteà Episcopus Augustanus, de quo suprà pag. 79. D. Martinus Eisengrein, Theologus & Præpositus; D. Georgius Lautherius, Doctor Theologus, & Aulicus Cōcionator, iam Monaci ad D. Virginis Præpositus vigilanlantissimus, qui Professionem illam ex imo corde & clara prælegebat voce; D. Ioānes Gressennicus, Dominicanus, Ducis Bauariæ Theologus & Concionator; Qui omnes tres honoris ergô confluxerant. Alij demū Ingolstadienses Theologiæ Doctores ac Professores; Theodorus Peltanus, Hieronymus Torrensis, & Collegij Eystadiani Pręses, Doctor Rhodolphus Clenckius; Item plures alij, tum Sacerdotes, tum sacrarum literarum Studiosi.

CVM igitur inter tremendum illud Missæ sacrificium, R. D. Suffraganeus sancta corporis CHRISTI Eucharistia D. Francum salutariter pauisset, Episcopalem etiam benedictionē impertitus; fuit Actus ille celebris, in pręsentia totius Academici Senatus, Præfecti Vrbis, Ducalium Consiliariorum, & ciuitatis Senatorum, adeoq; frequenti Spectatorum cœtu, & congratulatione, & publicè affixis carminibus, ex quibus vnum ob singularem eruditionem subiunximus, piè ac solenniter absolutus.

HVNC insuper solēnem Actum Catholicus Princeps Albertus, quæ insignis Serenissimę Celsitudinis eius erga pios & literatos fuit liberalitas, in Monasterio Franciscanorum splendido conuiuio clementer exornauit.

Liberalitas Ducis Catholici Alberti.

EODEM Anno 12. Calen. April. in festo S. Benedicti Abbatis Sacerdos Eystadij, ritè ac legitimè ordinatus; Et paulò pôst in aulam à Serenissimo Bauarię Duce vocatus, in Comitatum Hagensem, in quem antea, viuente Comite Ladislao, &c. disseminandæ Lutheranæ pestis gratia venerat, iterum ablegatus fuit; In quo pia moderatione & singu-

Sacerdos Eystadij legitimè ordinatur.

Comitatum Hagensem ad Catholicam reduxit religionem.

ſingulari prudentia ad auitam Catholicamque Religionem oues ſeductas, adeò fideliter reduxit, vt, omnibus abiuratis erroribus, in breui temporis ſpatio, omnes Sacroſanctam Euchariſtiam ſub vna ſpecie Catholicè acceperint.

Monaci ſacrorũ primitias celebrat.

INTEREA quoque, vt non modò doctrina, ſed etiam officio Sacerdotale perficeret munus, ex Comitatu vocatus, Monaci 5. Cal. Quintil. qui in 2. Dominicam Trinitatis incidit, apud Franciſcanos primò tremendum illud Miſſæ ſacrificium DEO Opt. Max. obtulit, præſentibus Sereniſſimis vtriuſque Bauariæ Ducibus, Alberto Patre, VVilhelmo, Ferdinando & Erneſto filiis, Illuſtriſſimo Principe Philiberto, Marchione Badenſi, Philippi parente, aliiſque Illuſtriſſimis Perſonis. Item Reuerendiſſimi Epiſcopi Eyſtetenſis Legato & Vicario in Spiritualibus generali, D. Ioanne Iacobo Kuechnero Theologo. Item D. Ioanne Egolpho à Knöringen, Herbipolenſi & Auguſtano Canonico; & D. Martino Eiſengrein, qui in maxima hominum frequentia & congratulatione virtutis atque eruditionis plenam habuit concionem; aliiſq; Conſiliariis, Nobilibus & Ampliſſimis.

Concionator Aulicus Ducis Alberti.

Eiuſdem Principis Conſiliarius Eccleſiaſticus. Præpoſitus in Ramſau.

CVM igitur res, in Comitatu Hagẽſi, tam feliciter proceſſiſſet, non tantùm Francus ille diligentes, in Aula & vrbe Monacenſi, apud D. Virginem, habuit Conciones verùm etiam Conſiliariis Eccleſiaſticis à Sereniſſimo & Catholico Principe aſcitus, & Prępoſitura in Ramſau donatus, hinc inde per Bauariam multis in locis piè doctèq; concionando, errantes in veritatis viam proprio exemplo & doctrina reuocando, nutantes in auita Religione confirmando, vtilem & ſalutarem Eccleſiæ præſtitit operam: Duos quoque Germanos fratres ſuos, D. Chriſtophorum, & M. Anaſtaſium, Ingolſtadij mecum ſuprema

Duos fratres ſuos, D. Chriſtophorum, & M. Anaſtaſium Chriſto lucrifecit.

Philo-

Philoſophiæ Laurea condecoratum (quorum ille Leobij ſub Sereniſſimo & Catholico Archiduce Auſtriæ, Carolo, Parochum atq; Concionatorem Catholicum, non ſine magno fructu, agit; hic verò Salisburgi iuſtitiæ cauſſarum Patrocinio, non ſine laude, fungitur) ex errorum tenebris ad veram Euangelij lucem reduxit, & Chriſto lucrifecit.

POSTHÆC 9. Calen. Martij, Anno 1572. ad inſignem D. Mauritij apud Ingolſtadienſes Parochiam promotus, vt incepta Theologiæ ſtudia fructuoſiùs cõtinuaret; Nobili Ampliſſimoq; viro, D. Martino Eiſengrein, Theologo & Eccleſiaſtæ grauiſſimo, ſucceſſit, tantaque dignitate & fructu Spartam ſuam ornauit, vt ſequenti ſtatim Anno à Senatu Academico Magnificus Almæ huius Vniuerſitatis Rector primò, & Anno 1579. ſecundò, & hoc Anno 1581. Prorector fuerit electus.

Ingolſtadij fit Parochus ad S. Mauritium.

Rector Academiæ ſecundò creatus, iã Prorector.

NEQVE verò hoc non in magna gloria & laude ponendum eſt, quòd vir ille excellenti memoria theſauro optimarũ rerum abundans, tam præclarè in ſanctis Theologiæ ſtudiis fuerit hîc verſatus, vt à pio D. Eiſengreinij obitu, Anno 1578. ſacrarum literarum Profeſſor in Collegium Theologicum ſuſceptus, Decanatus officium eodem anno fideliter adminiſtrârit, & iterum hoc Anno 1581. laudabiliter adminiſtret; Doctor certè Theologus in contrariis Religioni Catholicæ refutandis & excludendis exercitatiſſimus. Excitatus enim Anno 1575. ſacri Iubilæi gratia, cùm Italiam & Vrbem inuiſere, adeoque Sanctiſſimum Pontificem, Patrem Patriæ, vt Sedi ſacroſanctæ, quæ ad ſalutem gremium illi benignè aperuerat, pietatem atque deuotionem ſuam rectè comprobaret, venerari inſtitueret; 14. Calend. April. in præclariſſima Senarum vrbe, & glorioſa ſcientiarum matre, & celeber-

Fit ſacrarum literarum Profeſſor.

Theologicæ Facultatis Decanus ſecundò.

Senis S. Theologiæ Doctor creatur.

rima Academia SS. Theologiæ Doctor, tum ex meritis Christianæ Reipub. cumulatè exhibitis, tum aliis etiam probitatis, virtutis & doctrinæ examinibus publicè ac ſolenniter inauguratus, & Romæ deinde à Summo Pontifice, GREGORIO Papa XIII. Protonotariatus Apoſtolici & Aulæ Lateranenſis Comitatu, propio Sanctitatis illius motu eſt creatus.

Protonotarius Apoſtolicus & Comes Palatinus à Summo Pontifice creatur.

QVAM benignè verò & humaniter in Vrbe, tum à Reuerendiſſimo Illuſtriſſimoque Duce Boiorum, ERNESTO, iam Epiſcopo Leodienſi Ampliſſimo, tum Illuſtriſſimis Principibus, STANISLAO, Cardinale Varmienſi, IOANNE FRANCISCO Commendono Comenſi, aliiſque Cardinalibus fuerit exceptus; & Germani Romæ luculentè viderunt, & Magnus ille HOSIVS in elegantibus literis, quas ad ALBERTVM Bauariæ Ducem dedit, apertè teſtatur. Has autem, cùm mirificas Catholici Principis ALBERTI laudes mirificè prædicent, in ſempiternam atque digniſſimam tanti Herois memoriam, hîc optimo iure inſerendas putaui.

Cardinalibus Eccleſiæ Romanæ diligenter commendatus.

SERE-

SERENISSIMO PRINCIPI, DOMINO ALBERTO, SVPERIORIS ET INFERIORIS BAVARIÆ DVCI, PALATINO RHENI, &c.

Dño ſuo obſeruandiſſimo.

SERENISSIME PRINCEPS,

VEniens in Urbem D. GASPARVS FRANCK Theologus, multis mihi nominibus fuit vehementer commendatus. Gratum enim erat, roſam iſtam ex pungentibus ſpinis generatam, & tam ſuauem odorem in Eccleſia Chriſti reddentem cognoſcere, præſentemq́ apud S.tem Sedem hanc Apoſtolicam intueri, pro qua ille propriis Parentibus derelictis, quoduis vitæ fortunarumq́ diſcrimen adire paratum ſe eſſe oſtendit: quo vel ſolo nomine, non potui hominem nõ amiciſſimè excipere, et quibus hoc tempore potui humanitatis officiis complecti: cùm præſertim idipſum etiam ſuis mihi literis mandaret Celſit. Veſtra, cui hoc nomine plurimum etiam atque

etiam gratulor, quòd eius generis viros gratia sua liberalitateq́ prosequatur, quorum curæ cogitationesq́ omnes, cùm in studiis iuuādæ Christianæ religionis consummantur, ad ipsam quoque maxima meritorum pars redundabit, vt non solùm in hac mortali vita nostra prosperos consiliorum omnium suorum successus experiatur, verùmetiam in illa immortali, & præmia consequatur, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Vtinam autem cæteri quoq; Principes, non solùm seculares, verumetiam Ecclesiastici hoc Celsit. Vestræ exemplo accendantur, ad homines eius generis fouendos & alendos; Minùs illorum aulæ laborarēt, & subditi, quod imitarentur, semper haberent. Nunc sola mihi videtur Celsit. Vestra, quæ tanto studio einsmodi viros ad se congregat, vt Aula illius Schola quædam pietatis esse videatur: èx qua velut ex illo equo Troiano prodeunt fortißimi Christi milites, qui verbo & opere errantes populos ad fidem Christi reuocare contendunt. Qualem zelum in Gasparis istius Franci libris mihi videor agnouisse, de quo non est, quod scribam ampliùs Cels. Vestræ,

nisi

nisi quòd conspectus illius mihi fuit iucundissimus. Paratus etiã eram in omnibus rebus gratificari, si quam eius rei occasionem mihi obtulisset. Quod superest, opto Cels. V. diu benè feliciterq; valere. Datum Romæ 16. April. 1575.

Ex. Vestra

Ser.tor addictiss.

Stan. Card. Var. m. p.

QVOD superest, vt lectoribus aliquantò dilucidiùs appareat, quot & quantos labores D. Francus pro Catholica Religione fortiter propugnanda hactenus exhauserit, & quotidiè exhauriat, quàm deniq; præclarè de Christiana Repub. etiamnunc mereri studeat; Tractatus & libellos eius iam typis in lucem editos, quibus aduersariorum prestigias verè neque eleganter minùs dissipauit, huc ascribere operæpretium existimaui.

Scripta & Tractatus D. Caspari Franci.

CATALOGVS LIBRORVM,

QVI OPERA DOMINI CASPARI FRANCI, ad vsum & incolumitatem Ecclesiæ ac Religionis Catholicæ, in lucem prodierunt, typisq; sunt euulgati.

I.

DILVCIDA expositio iustissimarum caussarum, quibus M. Casparus Francus grauissimè commotus, à

noua Lutheranorum Secta, ad sanctam Catholicam & Romanam Ecclesiam se conuertit, ac DEI Opt. Max. benignitate, ad extremum vsque vitæ spiritum, in materno illius gremio, constanter perseuerare firmiter proposuit, cuius sanè exemplum omnes alij, qui hæreses detestati, in æternum condemnari nolunt, salutariter sequi debent: Vnà cum explicatione præcipuorum dogmatum, quæ hac nostra ætate in controuersiam & disceptationem vocantur. Ingolstadij edita, Anno 1568. & tertiò recusa.

II.

Breuis & pia institutio de puro verbo DEI, & clara S. Euangelij luce, quæ in vniuerso terrarum orbe effulsit; iam verò in hac extrema mundi tempestate ab Hæreticis peruersè deprauatur: Vnà cum refutatione duorum Scriptorum, quæ Iacobus Andreæ Schmidelinus & Ioannes Cœlestinus, contra iustissimas caussas M. Caspari Franci conuersionis, in publicum ediderunt. Excusa Ingolstadij, Anno 1570. & recusa anno sequenti.

III.

Tabula Catholicæ & Hæreticæ Confessionis, quæ Monaci, Ingolstadij & Nissæ in Silesia prodijt.

IV.

Tractatus de ordinaria, legitima & Apostolica vocatione Sacerdotum & Concionatorum, in quo non minùs verè, quàm doctè respondetur ad quæstionem illam: An Papistici, aut Lutherani Caluinianique Concionatores ritè ac legitimè vocati sint, & Sacramentum Eucharistiæ cõsecrare possint. Item apud quos Christiani veræ Christi carnis verique sanguinis participes fieri queant. Editus Ingolstadij, Anno 1571.

V.

V.

Tractatus consolatorius, doctrina, institutione Christianæ pietatis & patientia perquàm refertus, ad Catholicos in Bauaria Christianos, ne publicis quorũdam Hæreticorum Prædicantium scriptis & conuitiis commoti, veram Euãgelicamq; Religionem perfidè deserant. Editus Monaci, Anno 1571.

VI.

Passionale, in quo singulari diligentia collectæ, & pulchris sacrisq; imaginibus & picturis expressæ sunt præcipuæ veteris ac noui instrumenti Historiæ; vnà cũ vtriusque concordantiis. Editum Monaci, Anno 1572.

VII.

Concio Catholica de salutari meditatiõe passionis ac mortis Dñi nostri Iesu Christi. Ingolstadij, Anno 1573.

IIX.

Prodromus in defensionem Libelli, de legitima & ordinaria vocatione Catholicorum Sacerdotum & Ecclesiastarum, in quo per Iudices omni exceptione maiores manifestè declaratur, quàm fictè & fallaciter Georgius Nigrinus, Lutheranus Prædicator, & alij sui similes Doctrinam, Fidem, & Confessionem antiquorum & Apostolicorum Doctorum sibi tribuant & arrogent. Ingolstadij, Anno 1573.

IX.

Hyprodromus pro defensione Tractatus de legitima vocatione Ecclesiæ ministrorũ, in quo ex sacra Scriptura, & approbatis SS. Patrum testimoniis, contra Georgium Nigrinum asseritur, vbi inter tot Sectas miserè dissectas Catholica Ecclesia & Euangelica doctrina inuenienda, & corpus & sanguis Christi in Eucharistia sumendus sit. Ingolstadij Anno 1575.

X.

Hic obmutuit Nigrinus: Hæretici enim instantias ferre nequeunt.

Stratologia, seu Velitatio cauillationum Georgij Nigrini contra Prodromum M. Caspari Franci, in quo verè dilucideque declaratur, adhuc ratum esse firmiterq; constare, Georgium Nigrinum, Lutheranam Buccinatorem vnà cum suis Confessionistis, de vera & antiqua veterum Ecclesię Doctorum fide ac doctrina falsè & fallaciter gloriari, illorumque scripta perperàm corrumpere, Ingolstadij Anno 1575.

XI.

Casparis Franci de extremo, visibili & Hierarchico Ecclesiæ Catholicæ sacerdotio, aduersùs Hæreticorum figmẽta, ex sacra Scriptura & orthodoxis Patribus Assertio. Coloniæ Anno 1575.

XII.

Concio, an homo Catholicus bona conscientiâ, & absque passionis Christi læsione Indulgentiis, quæ hinc inde ab Episcopis promulgantur, vti & frui possit: Ingolstadij Anno 1576.

XIII.

Catalogus Hęreticorum, hoc est, Elenchus Alphabeticus de vitis, Sectis & dogmatibus omnium Hæreticorũ, qui ab Apostolorum ad nostra vsq; tempora, & veterum, & recentium authorum monumẽtis proditi sunt. Ingolstadij Anno 1576.

XIV.

Explicatio totius historiæ Passionis & Mortis Domini nostri Iesu Christi, ex quatuor Euangelistis collectæ, in qua præcipuæ partes Catholicæ Religionis, salutares meditationes, doctrinæ, consolationes & sacræ præfigurationes continentur & tractantur. Ingolstadij Anno 1577.

XV.

XV.

Oratio funebris in obitum D. Martini Eiſengreinij. Ingolſtadij, Anno 1578.

XVI.

Concio Catholica de glorioſa & triumphali Domini noſtri IESV CHRISTI aſcenſione, de ſeſſione Filij DEI ad dextram Patris, de ſumma CHRISTI hominis & DEI Maieſtate, & hypoſtatica diuinæ humanæq; naturæ vnione, contra impium Iacobi Andreæ Schmidelini ſermonem VVittenbergæ in feſto Aſcenſionis, de Diuinitate, Omnipotentia & Vbiquitate Corporis CHRISTI habitum, ac publicè typis excuſum. Edita Ingolſtadij, Anno 1578.

XVII.

Fundamentum Catholicæ Fidei, in quo ſexaginta tres cauſſæ comprehenduntur, cur vniuerſi & ſinguli Chriſtifideles Catholicæ, Chriſtianæ & Romanæ Eccleſiæ vſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtanter adhærere obligētur; vnà eum refutatione calumniarum Doctoris Iacobi Andreæ Schmidelini & aliorum Concordiſtarum. Ingolſtadij Anno 1578.

IIXX.

Duæ Conciones de Catholico nomine & inſtituto; in quibus primò tractatur, quid Catholicum ſit, & qui illo nomine ſint vocandi: Deinde, vtrùm nomen Catholicum Papiſtarum, aut Lutheranorum potiùs doctrinam refutet atque infringat, pro defenſione Catholicæ Eccleſiæ ac Fidei, contra contumelioſum cuiuſdam Hæretici ſermonem, conſcriptæ & editæ. Ingolſtadij, Anno 1581.

IXX.

Oratio Apologetica pro defensione professionis orthodoxæ Fidei, iuxta decretum Concilij Tridentini, editæ; de diuinis Apostolicis & Ecclesiasticis traditionibus deque earum Sacrosancta vi & authoritate, aduersùs detestabiles & putidos Hæreticorum, præsertim Martini Chemnitij, errores atque calumnias. Ingolstadij, Anno 1581.

XX.

Concio Catholica in festo Natiuitatis D. MARIÆ Virginis habita, quòd CHRISTVS sit verus, promissus & exhibitus Messias ac Redemptor mundi; & quid de ordinaria Episcoporum successione credendum & sentiendum sit; vnà cum Catalogo Romanorum Pontificum, & aliorum Germaniæ Episcoporum, in quo ostenditur, Ecclesiam Romanam à fide Apostolica nunquam desciuisse, neque Antichristi Synagogam esse. Ingolstadij, Anno 1581.

Sequitur elegantissima Epistola Illustrissimi & Reuerendissimi Episcopi, & Cardinalis AVGVSTANI OTHONIS, quam, cùm digna censeatur, vt commendetur posteritati, multumque momenti habeat ad Piorum in Catholica fide confirmationem, hîc subiicere volumus.

CLARIS-

CLARISSIMO SYNCERE nobis dilecto M. Gaspàro Franco, &c.

OTHO MISERATIONE DIVINA S. R. E. EPISCOPVS, CARDINALIS ALBANEN. ET AVGVstan. Præpositus & Dñs Elvvaceñ.

MAGISTRO GASPARO FRANCO S. D.

PErgratum nobis fuit munus tuum, partim, q̄d auctoris Catholici primitias non vulgares adferat, partim quòd operantis in te Domini virtutem singularem ostendat. Neq; minùs nobis iucundum fuit intelligere, quàm liberè, constanter et piè paucis abhinc diebus publicè isthic testatus atque professus sis, nihil tibi esse antiquius, quàm post errorum tenebras, in quibus hodie tam multi volutantur, clarißimam Catholicæ veritatis lucem amplecti, & in ea non modò requiem, sed etiam animæ tuæ salutem sempiternam locare. Magnum hoc sanè fuit diuinæ bonitatis erga te argumentum, quòd inter

Sectarios institutus, inter veram falsamq́ religionem, inter Catholicos et Sectarios Doctores, inter orthodoxam & sectariam Ecclesiam discrimen agnoueris, neq; te passus sis longiùs à via veritatis, quæ sola ducit ad vitam, abduci. Maius verò beneficium extitit, quòd obiecta varia tum blandimenta, tum terriculamenta, quæ sanctam Neophyti resipiscentiam facilè retardabant, inuicto animo spreueris, & constanti virtute superâris. Illud nunc præclarius accessit, quòd mutatæ mentis & agnitæ veritatis specimen clarissimum palàm præbueris, & in frequentissima honestissimaq́ hominum corona volueris erroris petere veniam, detestari perfidiam, &, quod corde crederes ad iustitiam, id ore simul ad salutem profiteri. Ita tu quidem commune omnibus in domo Dei gaudium excitasti, quia nō modò mortuus reuixit, sed etiam, veluti è Saulo Paulus, Diui Pauli die, nobis cōuersus, aut redditus esse videtur. Hæc est mutatio non virtutis tuæ, sed dextræ nimirum excelsi; hæc fulgent principia solidæ pietatis, quæ non possumus in Domino gratulabundi non magnifacere, & cum multis aliis piis & sapientibus in

te, Fra-

te, Frater, non comprobare. Facis rem te sanè dignam, optime Gaspare, nec homines modò tui studiosos tibi deuinctiores reddis, sed & alios procul disiunctos in tui amorem prouocas; imò & sanctos in Cœlo Angelos lætificas, quia ouis erratica vocem alienorum fugiens, ad Pastorem Germanum redit, eiusq́; ouili proprio, extra quod nulli reliqua salus esse potest, te fœlicissimè reddis. Quare non possumus maiorem in modum te non hortari, vt gratiam hanc Dei singularem, quam accepisti, grato semper pectore complectaris, & in ea excolenda studiosè pergas, vt gratiam in te non fuisse vacuam sentiamus. Non Parentes, quæso, & amici, nō æmuli et obtrectatores, quicquam te moueāt in hoc præclaro & diuino instituto. Nosti proculdubio, quid animæ & conscientiæ tuæ, quid Matri sanctæ Ecclesiæ, quid agnitæ veritati, quid Christo demum Seruatori et Iudici, te per Ecclesiæ Præpositos amplectenti, debeas. Piis et probatis placere, sat est: nullus improbis vnquam faciat satis. Quòd si ab Ecclesiæ hostibus proscinditur nomen tuum, nihil noui esse puta: sic non obscurant illi, sed augent tibi gloriam calumniando:

& te verum veræ Ecclesiæ Ciuem esse confirmant. Nec est, quòd te orphanum arbitreris, aut omni præsidio destitutum queraris hoc tempore. Orphani esse non possunt, qui sunt Ciues Sanctorum & domestici Dei veraq; corporis Christi membra, in quibus ille tam libenter habitat, quàm efficaciter operatur, donaq; sua diuina dispensat liberaliter. Stant & pugnant pro nobis myriades beatorum Angelorum, quotidiana hi nobis præbent solatia, & hanc nostram imbecillitatem fidè subleuāt, nobis etiam ad omnem vitæ casum subseruientes, vt electos in viis omnibus custodiant, ne fortè ad lapidem pedem impingant, &c. Vale in Christo Iesu, & viriliter age in castris Ecclesiæ propugnandis. Datæ ex Arce nostra Dilingēsi, die S. Dorotheæ, Anno Domini M. D. LXVIII.

OTHO Cardinalis
Augustanus.

CARMEN.

CARMEN GRATVLATIONIS ERGO SCRIPTVM, ET PVBLICE AFFIXVM A' PHILIPPO MENZELIO, CVM Reverendus & doctiss. vir, M. Gasparus Francus, Concionator olim Hagensis, hæresi iam antè abiurata, sanctam Catholicę Fidei Professionem, in festo Couersionis Diui Pauli, Anno 1768. Ingolstadij publicè faceret.

O FATI *series! ô abstrusissima Cæli*
Consilia! à nostris ea quantum sensibus absunt!
Iudiciis hominum quantum diuina prophanis
Antistant! Vt cuncta DEO *mortalia cedunt!*
Ecquis enim quondam, quis Consiliarius illi
Affuit, hac mundi quum fundamenta locaret?
Quum Cæli varios includeret orbibus orbes,
Lucentemq́ globum, & Lunæ variabile Sydus,
Immotasq́ faces stellanti affigeret axi?
Discite mortales, quæ non mens vestra capessit,
Omnia posse DEVM. *Quid enim non posse putandum?*
E nihilo totum; qui mox emergere mundum
Voce potente dedit: Pharij qui Regis in Aula
Prodigiis quondam sua confirmauit abundè
Numina. Vidisses per humum reptare colubrum
E baculo natum subitò in baculumq́ redisse.
Vidisses pluuiis operiri tecta locustis,
Regiaq́ immundas persultare atria ranas.
Tum quoque seruitiis quandò Pharaonis iniqui
Exiit Isacidum populus per inhospita tesqua,
Desuper impendens illustri luce columna
Rexit iter, cæcasq́ ita noctis distulit vmbras.

Tunc

Tunc & Erythræos in murum assurgere fluctus,
Et solidas præbere vias à sedibus imis
Cernere erat, populosq; immane per æquor euntes.
Quid referam verò, Manna cœlestis vt imber
Deciderit, cunctos repræsentare sapores
Quæ potis vna fuit? commutatumq; liquorem
Fontis, & eruptas gelidis è cautibus vndas?
Scilicet artificem tam suspicienda loquuntur,
Qui Cœlo, terraq; facit miracula solus,
Inq; manu cuius stat mundus, & omnis in illo
Rerum progenies, & qui mortalia corda
Flectere solus habet: cuiq; illibata potestas
Eximere errorum tenebris, stabuloq; referre,
Si qua errauit, ouem. Nec enim deperdere quicquam
De grege vellet eo, preciis quem grandibus emit
Agnus, iterq; suo signauit ad astra cruore,
Interdicta priùs: nec, quod produxerat ipse,
Conditor odit opus, non tam procliuis ad iram,
Ac largus veniæ, quam spontè volentibus offert.
Cur igitur, quisquam sua si commissa perosus,
Hæreseon fraudes, numeroq; carentia monstra
Abiuret, meliora videns, meliora sequensq;,
Ad priscaq; lares Fidei, nauemq; Petrinam
Se reuocet, scelus omne suum, atque errata recantet,
Cur stomacharis adhuc? cur ducis, Zoile, vultus?
Aspergisq; tua succo loliginis illum?
An tibi nosse datum scita omnipotentis Olympi?
Annè opifex, manuum qui tot monumenta suarum
Admiranda dedit, toti admirabilis orbi,
In melius fragiles hominum conuertere mentes
Vt possit, dubitas? Tua te dubitatio perdat.
At potuit certè sitientem sanguinis olim,

Spiran-

Spirantemq́ neces, & cuncta extrema minantem
Christiadis Saulum, iaculanti fulmina dextra
Fusum affligere humo: potuit formare repentè
Ex raptore lupo custodem, ouiumq́ Magistrum.
Te quoque, quo meliùs diuina oracula vocis
Eloquio nemo tam florescente resoluit,
Augustine sacer, quum nox tibi pectus haberet,
Atque Manichaeae pars esses maxima Sectae,
Traxit in oppositum melior DEVS, *atraq́ menti*
Nubila discussit, multa sese insinuans vi.
Quid reliquos memorem, quos tam numerare liceret,
Quàm quot hyems niuibus, quot abundet messibus aestas?
Haecné DEVM *quondam potuisse fatebere tantùm,*
Nuncq́ neges? ecquid manus est contractior illi?
Nec iam promissis manet? ast vbi spiritus ille,
Discipulis missus, CHRISTI *qui morte redempto*
Affore praesentem sese iurauit ouili,
Dum tellus & pontus erunt, si nequiter actis
Non spes ad frugem superest, non ansa salutis?
At tu, quem passis redeuntem amplectitur vlnis
Concio Christiadûm, quem lux hodierna videbit
Excelsa stantem Cathedra, (velut antè solebas)
Et veteres lapsus animo lugente fateri,
Inq́ suum irasci scelus, ac conuellere dictis
Dicta suis, agè nunc multò celeberrime FRANCE,
Tu quod agis, constanter agas, & despice Momos,
Egregiis nunquam liuor suus absfuit ausis.
Mens tamen interiùs quam non sua crimina mordent,
Non agitant furiae, scelerum nec mentio torquet,
Iucundus sibi fit testis, conuitia ridet,
Contemnitq́ notas, & amarae verbera linguae:
Hac contentus eris. Nec fraudi debet id esse,

Quòd patrios ritus huiusq; & falsa probâris
Sacra, quibus rudior te circumuenerat ætas:
Nam retinent teneri, quæcunque insculpseris, anni,
Atque bonis semper mala nempe fideliùs hærent.
Quum verò veterum monumenta perennia Patrum
Voluere cœpisses, Dij, quàm facies noua rerum
Protinus obiicitur! iam, quæ quasi numen habebas,
Scilicet egregiis commenta authoribus orta,
Et manibus velut elabi, atque fatiscere cernis:
Vt solet in somnis, quum plurima ludit imago
Laxatos animos; Tunc gaudia falsa fouentes,
Thesaurum ingentem sæpe effodisse videmur,
Et læti digitis arctè complectier aurum.
Ast vbi somnus abit, excussaq; pectore nox est,
Mox desiderium nil præter inutile restat.
Vos igitur Ciues semper fœlicis Olympi,
Mecum agè ter Sancto gratum Pæana Tonanti
Pangite, quòd multos ouis hæc amissa per annos
Ad vocem Pastoris adest, ad ouile recurrit,
In quo certa salus, extra quod nulla futura est.

IN ZOILVM.

Aut amat, aut odit, quisquis malè iudicat: ille
Nostra probat; sed te, Zoile, curo nihil.

GRATVLATIO HEROICA,

INSCRIPTA REVERENDO, NOBILI ATQVE Amplissimo viro, Domino CASPARO FRANCO Theologo, &c. quum Magnificus celeberrimæ Academiæ Ingolstadiensis Rector 8. Cal. Maias Anno 1573. crearetur:

AVTORE

AVTORE
M. IOANNE ENGERDO P. L. &c.

EIA agè magne DEI, salue CASPARE, Sacerdos,
Obsessa turris fidei fortissima salue,
Salue Gymnasij nostri Clarissime RECTOR.
Hoc erat, hoc animi votis quod sæpe petebam,
Accipio agnoscóq; simul, non cassa vocatos
In mea vota Deos: etenim gestamine tali
Si multi digni fuerant ab origine reges,
Ante alios tu dignus eras, Amplissime RECTOR,
Hæc sceptra accipere, & tales attollere fasces,
Cùm tibi adhuc stabat primæuo flore iuuentus,
Castra sequebaris Phœbi Sophiæq; potentis;
Aut amor vnus erant Graiæ Latiæq; Camœnæ,
Aut tecum Vranie motus lustrabat Olympi,
Leucorea vrbs meminit: dehinc verò ætate virili,
Priscorum nota iam relligione Parentum,
Indagas CHRISTI & vatum monumenta piorum,
Idq; sedet menti solùm, probat optimus Autor
ALBERTVS, sacrum fidei munimen auitæ,
Teq; fidem regni iubet explorare paterni
A magnis paruisq; viris, teneraq; iuuenta
Et senio; tantos Boij nouêre labores.
Nec mora, te Princeps idem reuocauit in Aulam,
Doctrinamq; DEI narrantis ab ore pependit.
Anglipolis tandem studiis asperrima belli
Et pacis (bellum sunt muri, Academia pax est)
Te vocat auditum diuina oracla docentem,
Absentem poscit, flagrat præsentis amore,
Iamq; Magistratus summi largitur honores.
Ergo agè & aggreditor nostri decora inclyta sceptri,

O lux Gymnasij, magnum simul incrementum,
Vtere iure tuo, populis da iura vocatis,
Et tutare bonos, & contrà plecte nocenteis:
Sic tibi, dum florens hæc nostra Academia stabit,
Semper honos viuus, semper laus viua manebit.

CARMEN VALENTINI ROTMARI,
INSCRIPTVM
REVERENDO, MAGNIFICO ET AMPLISSIMO VIRO, AC DOMINO CASPARO FRANCK, Sacræ Theologiæ Doctori & Professori, Protonotario Apostolico, &c.

TE nūc, FRANCE, tuamper ego dextramq; fidemq;
Obtestor, nostras non intractabilis audi,
Iam fessas quanquam, & celebri sine nomine Musas.
Non ego vana cano: DEVS æthere summus ab alto
Aspicit humanam Gentem, nostrosq; labores,
Liberat ille animas nigrum, miseratus, ad orcum
Tendentes quandoq; viam, reuocatq; labantes.
Troius Italiæ, gnatiq; oblitus Iuli
Securusq; Deûm, fatiq; immobilis Heros,
Heu penè illicito demens immersus amori,
Longiùs in Lybicis contra terit otia terris
Fata Deûm: tamen admonuit Cyllenia postquàm,
Detulit & celeres proles mandata per auras,
Territus imperioq; Iouis monituq; Deorum:
Et licet immensas sentiret pectore curas,
Atque animum nunc huc Heros, nunc anxius illuc
Spemq; metumq; inter raperet; considere regnis

Nunc

Nunc cuperet Lybicis, nunc sed parêre Deorum
Imperio: tamen immota sententia mentis
Euicit melior, sequiturq́ allata monentis
Iussa DEI *Aeneas, & quicquid dulce, relinquit.*
Te quoque sic monitus, qui te noctuq́ diuq́,
FRANCE, *fatigabant, quondam admisisse Deorum*
Credibile est, aliam quando sub pectore mentem
Conciperes, oculisq́ foret lux reddita apertis.
Quisquis is est, Boias qui te traduxit in oras,
Certè aliquem reor esse DEVM, *quo Principe nostras*
Et Duce es ingressus terras, portumq́ salutis.
Et quis enim patriam lacrymis sine deserat vrbem?
Quem non & flentum teneant chara ora Parentum?
Aut non diuitiæ valeant retinere paternæ?
Omnia Relligio super est: super omnia nostræ
Vna salus animæ est, & opes, & quicquid in orbe,
Augustum aut ingens, aut quicquid amabile vincit.
Omnia sed cultus Diuûm super; omnia vera
Exsuperatq́ fides, pietas, atque aurea virtus.
At nunc quis veræ fidei, & pietatis auitæ
Est te Mecœnas melior? quis fortiùs hostes
Hæreticos contrapugnat, fraudesq́ refellit?
Quis te dicendo superat præstantior alter?
Hoc opus, hic labor ille tibi: tua scripta, tuamq́
Testatam iam spontè fidem legit integer orbis.
Hinc te iam magno, Latiæ qui præsidet vrbi,
Ille Sacerdotum Princeps, dignatus honore est:
Cætera sed quondam tellus tibi Boïa reddet.

HIERONYMUS TORRENSIS,

IULIUS PRISCIANENSIS, GREGORIUS DE VALENTIA, LUCAS PINELLUS, *Doctores Theologi*; *&* CHRISTOPHORUS PARCHINGIUS, *&* OTTHO EISENREICH, *SS. Theol. Licentiati.*

D. Alphonso Pisano successit D. Hieronymus Torrensis.

ALPHONSO PISANO in Hispania nato, Doctori Theologo Societatis IESU, cùm Anno 1567. hinc ad Dilinganam Academiam se conferret; illinc ad nos profectus, in Theologica Professione successit Hieronymus Torrensis, & ipse Hispanus & Doctor Theologus, eiusdem Societatis, vir integritate vitæ, pietate, humilitate atque eruditione præstantissimus, qui anno eodem in mense Maio, sub Nobili doctissimoque viro, D. Raphaële Ninguarda Iureconsulto, & Vniuersitatis Rectore Magnifico, Albo Academiæ inscriptus, & lectiones Theologicas feliciter auspicatus, per octo annos hîc Theologiam magna cum laude & fructu publicè legit. Idem Anno 1569. edidit Confessionem Augustinianam in libros quatuor distributam, & certis capitibus locorum Theologicorum, qui sunt hodie scitu dignissimi, comprehensam, & ex omnibus B. Augustini libris in vnum Opus reductam. Anno 1571. Mense Nouembri transmisit ad Facultatem Theologicam Serenissimus Boiorum Dux ALBERTUS, &c. Agendam quandam Ecclesiasticam à Lutheranis quibusdam consarcinatam, & Typis excusam, petiuitque eius Illustrissima Celsitudo; cùm per Doctas & orthodoxas Theologorum informationes efficiendum intelligeret, ne ea Agenda in perniciem quarundam Ecclesiarum concederetur, vt Collegium Theologicum ilicò transmissam Agendam examinaret, suam-

Laus D. Torrensis.

D. Hieronymus Torrēsis, Autor Confessionis Augustinianæ.

que

que censuram quàm primùm suæ Serenissimæ Celsitud. transmitteret. Itaque Dominus Hieronymus Torrensis, iubente Collegio, statim generalem istius Agendæ confutationem breuem, sed pulcherrimam & vtilissimam, facilè confecit, eamque cum literis Facultatis sine mora ad Sereniss. Principē remisit. Premit & alios vtiles Tractatus, quātū intelligo de Mediatore Christo, de indulgētiis, &c.

D. Theodoro Peltano succeßit D. Iulius Priscianensis.

ANNO sequenti nimirum, 1572. D. Theodoro Peltano successit Iulius Priscianensis Florentinus Italus, Societatis IESV Sacerdos, S. Theologiæ Doctor, inscriptus sub Rectoratu Illustris ac Generosi Domini Friderici, Comitis in Oetingen, &c. à Prorectore D. Alberto Hungero Theologo; vir profectò omni laude dignus, & (vt verba M. Rotmari in Annalibus posita libenter repetam) quod inter cæteras eius virtutes, quas habet, plurimos excellit, prorsus candidus, & si licet dicere:

Laus D Iulij Priscianensis.

Germanam versans Italo sub pectore mentem.

EQVIDEM ingenuè fateor, me huius viri, Præceptoris mei plurimum obseruandi, lectionibus publicis multum debere; plerasque enim Religionis nostræ partes, quæ hac nostra tempestate in controuersiam vocantur, & doctè, & copiosè nobis explicauit. Idem nuper Dilingæ Regulas Diui Augustini cum doctissimis Commentariis Vmberti, S. Rom. Ecclesiæ Cardinalis, & Hugonis de S. Victore edidit.

D Torrensi successit D Gregorius de Valentia, & D Iulio D. Lucas Pinellus.

HVIC Anno 1575. Lucas Pinellus Italus; Torrensi aūt Gregorius de Valentia Hispanus successerunt; vterq; & D. Torrensis, quanquā senio confectus, & D. Iulius in Academia Dilingana Theologiā publicè adhuc profitētur.

Laus ingenij, memoriæ & eruditionis D Gregorij de Valentia.

QVOD si iam diuinum ingenium, & diuinam penè memoriam D. Gregorij amplissimis ornare laudibus voluero; non tanta mihi certè orationis vbertas suppetet,

quan-

quantam pietas, virtus & eruditio illius singularis optimo iure meretur: Ab eo eñ tempore, quo Anno 1575. 14. Cal. Nouembris, vnà cum D. Luca Pinello, sub Rectore Magnifico, D. Philippo Menzelio, Medicinę Doctore & Professore, ac P. L. nomen Vniuersitatis Matriculæ dedit, & Sacrosanctam Theologiam publicè docere cœpit, tam laudabiliter & tam fructuosè Spartam suam ornauit, & etiamnunc ornat, vt auditores in magnam admirationẽ traducat: Non tantummodò enim auream D. Thomæ Aquinatis Summam Theologicam in lectionibus publicis insigniter explicando dilucidat; verùm etiam in religioso S. Hieronymi Sacello aliquoties Latinas easque doctissimas Conciones habuit. Quin & disputando acer, subtilis ac profundus Theologus, contra Hæreticos, & præcipuè Herbrandum istum, Confessionistam Tubingensem, egregios Tractatus in publicum emisit.

D. Gregorius scripsit eruditos Tractatus cõtra Heibrandum Hæreticum.

CATALOGVS LIBRORVM,

QVOS D. GREGORIVS DE VALENTIA

typis in lucem edidit.

I.

DE discernenda humanorum contractuum iustitia & iniustitia, Disputatio Theologica habita in Academia Ingolstadiensi, Præside Gregorio de Valentia, Societatis IESV, respondente Paulo Vizano. Ingolstadij, Anno 1577.

II.

De Idololatria aduersùs improbissimas nostri temporis Hæreticorum, præsertim Tubingẽsium calumnias Disputatio in Ingolstadiensi Academia publicè proposita,

sita, Præside Gregorio de Valentia, & Respondente Otthone Eysenreich, &c. Ingolstadij, Anno 1578.

III.

De excellenti diuinæ gratiæ natura, & iis, quæ ad eam tum obtinendam, tum conseruandam requiruntur, deq; ipsius admirabili efficacia Disputatio Ingolstadij habita: Præside R. P. Gregorio de Valentia Societatis IESV: Respondente M. Petro Steuartio, Eystadij Professore. Ingolstadij, Anno 1577.

IIII.

Apologeticus de Idololatria, aduersùs impium libellum Iacobi Herbrandi, qui nuper disputationem de eodem argumento Ingolstadij, contra Sectariorum contumeliam propositam, oppugnare ausus est. Autore Gregorio de Valentia, Societatis IESV D. Ingolstadij, Anno 1579.

V.

Confutatio calumniarum, quas Herbrandus Spongia quadam sua complexus est, & in Apologeticum de Idololatria nuper Ingolstadij editum, leuiter ac petulanter effudit Autore Gregorio de Valentia D. Theol. Societatis IESV. Ingolstadij, Anno 1579.

VI.

De iustitia in iudiciis seruanda disputatio Theologica, Præside Gregorio de Valentia, &c. ac Respondente P. Othone Eysenreich, Collegij Albertini Regente. Ingolstadij, Anno 1579.

VII.

Disputatio Theologica de vera & falsa differentia veteris & nouæ legis, contra fundamentum Lutheranæ doctrinæ à Caluino etiam receptum, & à Melanchtone,

Chemnicio, Herbrando & aliis paſſim Sectariis repetitum, in Catholica Academia Ingolſtadij publicè propoſita, Præſide Gregorio de Valentia Societatis IESV Theologo & Profeſſore, Reſpondente verò M. Chriſtophoro Sella. Ingolſtadij, Anno 1580.

VIII.

De ſacroſancto Miſſæ ſacrificio contra impiam Diſputationem Tubingæ nuper à Iacobo Herbrando propoſitam, atque adeò contra peruerſiſſimam Lutheri, Kemnitij aliorumq; nouatorum doctrinam, Tractatus, Autore Gregorio de Valentia. Ingolſtadij, Anno 1580.

IX.

Explicatio verarum cauſſarum, cur Iacobus Herbrandus Lutheranæ Sectæ in Schola Tubingenſi Profeſſor, ſuſceptum de Idololatria certamen proſequi recuſauerit, cum refutatione falſarum, quas ille prętexuit, Autore Gregorio de Valentia. Ingolſtadij, Anno 1580.

X.

De Idololatria contra Sectariorum contumelias Diſputatio; vnà cum Apologetico, aduersùs Iacobum Herbrandum Lutheranum. Authore Gregorio de Valentia, Societatis IESV Theologo. Ingolſtadij, Anno 1580.

XI.

Apologia de SS. Miſſæ ſacrificio, aduersùs cauillationes leuiſſimas Iacobi Herbrandi Lutherani, contra Tractatum de eodem argumento ſuperiori anno Ingolſtadij editum. Autore Gregorio de Valentia, D. Theol. Societatis IESV. Ingolſtadij, Anno 1581.

XII.

Refutatio Apologiæ Iacobi Herbrandi Lutherani, de cauſ-

caussis, cur susceptum de Idololatria certamen deserere instituerit, Autore Gregorio de Valentia D. Theol. Societatis IESV. Ingolstadij, Anno 1571.

DVM hæc scribo, quidam Collegarum meorum significauit mihi, ab eodem D. Gregorio eruditissimam disputationem de prædestinatione Dilingæ, antequam illinc huc veniret, typis excusam esse. Hæc igitur pauca, & ea summatim de P. Gregorio, viro præclara eruditione & doctrina ornatissimo scribere volui: Non enim tantùm alterius testimonio est laudatus, sed eruditis suis scriptis laudes meretur amplissimas. Illius vicem hoc interim superioris hyemis spatio, quo Vrbem inuisit, in legendo hîc sustinuit P. Paulus Vizanus Bononiensis, SS. Theologiæ Licentiatus, & Sacerdos Societatis IESV, Philosophus atque Theologus insignis, qui antea Dilingæ S. Theologiam publicè docuit. Reuersus autem ex Vrbe D. Gregorius, cuius aduentus desiderio sacrarum literarum studiosi propemodum exæstuabant, Professionem suam diligenter in hunc vsque diem continuat.

P. Paulus Vizanus aliquandiu illius vicem in docendo sustinuit.

D. Gregorius adhuc est Professor Theologiæ.

LVCAS verò Pinellus (cuius egregiam eruditionem tum ex aliis, tum vel maximè duabus Theologicis disputationibus, quarum alterā de statu animarum in altero seculo, alteram de Christo Opt. Max. ac matre eius sanctissima Ingolstadij, Anno 1577. publicè habuit, abūdè videre licet) postquam & docendi, & Alumnos Serenissimi Ducis ALBERTI, &c. in Collegio Albertiniano regendi munere per biēnium laudabiliter hîc perfunctus est, Anno Dñi 1577. in Lotharingiam profectus, honorificam atq; præclaram Disputationem de Ecclesia, S. D. N. Gregorij Papæ XIII. dedicatam, in Academia Mussipontana, Respondente Illustrissimo Cardinali Lotharingio, haud ita pridem publicè habuit.

Lucas Pinellus Doctor & Professor Theologiæ.

Regens primus Albertini Collegij.

D. Pinello ſucceſsit Chriſtophorus Parchingius, Anglus. Parchingio ſucceſsit P. Otho Eyſenreich.

In huius D. Pinelli locum ſucceſſit Chriſtophorus Parchingius Anglus, S. Theol. Licētiatus. Pro hoc in munere Theologiam docendi, conſtitutus eſt Anno 1579. P. Otho Eiſenreich, SS. Theol. Licētiatus, qui Anno 1565. 9. Cal. Sept. à Reuerendo viro, D. Chriſtiano Kripperoinſcriptus eſt Matriculæ Vniuerſitatis hoc nomine, Ottho Eiſenreich de VVeilbach Nobilis; Nunc verò Pater eſt Societatis IESV, Theologus, ac Theologiæ Profeſſor in hunc vſque diem ordinarius, qui per aliquot annos Pædagogij Ingolſtadiani Præfectum, & Regentem Albertini Collegij vigilantiſſimum egit.

Adhuc eſt Theologiæ Profeſſor.

Fuit Præfectus Pædagogij, & Collegij Albertini Regens.

Verè Nobilis vir.

Ex hoc certè, tanquam ex illuſtri ſpeculo, vera elucet nobilitas, dum claritatem generis excellentia pietatis, virtutis atque eruditionis excelſsè ſuperat: Quemadmodum & frater eius, Reuerendus in Chriſto Pater ac Dominus, D. Albertus Eyſenreich, Præpoſitus Vndenſtorffenſis, vir omnino eſt induſtrius, literarum amantiſſimus, præterq; opinionē doctior, & penè, quod admiratione dignum, αὐτοδίδακτος: Non enim illi (pace tanti optimarum diſciplinarum Patroni dixerim) quod aliis multis contigit, iuuentutem in literis & inter literatos conſumere: Inſcriptus eſt tamen iam tum Decanus digniſſimus Albo Studioſorum, Anno 1571. 5. Cal. Quintil. ſub Rectoratu D. Iacobi Feuchtij Theologi, & poſteà Suffraganei Bambergenſis.

Laus D. Alberti Eyſenreich, Præpoſiti Vndenſtorffenſis.

HÆC eò libentiùs atque copioſiùs ſcribo, vt Nobili genere nati adoleſcentes magis magiſque ad virtutem & doctrinam capeſcendam excitentur & illorum, quos dixi, exempla ſtudioſè cupideque ſequantur.

Carmen

Carmen Valentini Rotmari,

AD REVERENDVM, PIETATE, ERVDITIONEQVE PRÆSTANTISSIMVM VIRVM, AC DOMINVM GREGORIVM DE Valentia, Hispanum, Societatis IESV, Doctorem Theologum, & Professorem.

ET quid ô humanæ possit contingere menti,
Omnia qui trutinas rerum bene pondera, maius,
Quàm rectè coluisse DEVM & defendere auitæ
Relligionis opus, fraudesq́; aperire latentes,
Et quos Hæretici magno discrimine tendunt
Incautis laqueos, irritamenta malorum?
Scilicet haud Diuûm fieri sine numine credo,
Et fœlix, cui nosse datum, quid fraudis in arte
Insit, & Hæretici quod alant informe, ferumq́;
Occultè monstrum: species pulcherrima sæpe
Decipit incautos veri, & via & ducit ad orcum
Prona nigrum, & tandem pallenti immergit abysso.
Ille etiam fœlix, dociles qui nouerit aures
Et præbere, fidem & sanam parêre docenti.
Quisquis es ô igitur, Diui quem dogmata THOMÆ
Noscere, & Hæreticæ speciosa sophismata turbæ
Scire iuuat, fictosq́; simul discernere fucos,
Huc ades: illa tibi fidus Pater omnia præstat
GREGORIVS, vallum non expugnabile contra
Hæreticos; Nouit lentus, si noscere tantùm
Neccarus haud vnquam erubeat, verumq́; fateri
Herbrandus velit, & rapidis iam desinat vndis
Obniti (tantum nec tendere sufficit ille)
Nostraq́; GREGORIVS superat quia, castra sequatur.

Eheu cæcus amor, vetitiq; libidinis æstus
Quò non perducunt? quid non mortalia cogunt
Pectora, cùm semel est vitio data ianua turpi?
Excute mente Deum, qui nil moderabile suadet,
Et puerum cum matre fuga: DEVS *annuet ausis,*
Si monitis, Herbrande, voles aduertere sanis.
Tu tamen, Hesperiæ cui magna Valentia nomen
Indidit, æternos pergas transmittere in annos,
Quod legat & præsens & postera perlegat ætas,
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

CARMEN VALENTINI ROTMARI,

AD REVERENDVM PATREM AC DOMINVM OTHONEM EISENREICH, SOCIETATIS IESV, SS. THEOLOGIÆ Licentiatum, & Professorem.

EXtremum hunc, SOPHIA *alma, precor, concede laborē*
Munera dum sacris ferimus Phœbeïa Mystis,
Pauca mihi cantanda super: quis carmen OTHONI,
Quis neget, ô Musæ? tectis auertite nostris
Tam crudele nefas, & detestabile crimen.
Hûc ades ergo Pater, nostrisq; assuesce vocatus
Dulcis OTHO *Musis, Bauarum nec temne Poëtam.*
Nobilitásne prior, Sophiáne peritia sacræ
In te sit maior, forsan sententia nutat
Cuiusquam, & partem non vergit semper in vnam.
Est aliquid claris, reor, esse parentibus ortum,
Nec genus & formam regina pecunia semper
Donat, & est fuluis genus & sine forma talentis.
Scilicet illustres trahit à virtutibus ortus

Nobili-

Nobilitas, virtutis opes, illustre genusq;
Splendorem, ceu iure suo, persæpe sequuntur,
Et manet illustrem virtus pulcherrima stirpem:
Quin & opes rutiliq; auri quandoq; talenta
Nobilitas sequitur: Nutritur & aurea virtus
Auro augetur adhuc: quorum conatibus obstat
Res angusta domi, videas emergere raro.
Hæc tibi ISENREICHI *canimus: tua constat origo,*
Nobilitatis honos, veterisq; insignia gentis
Constant, & virtus non est ignota parentum.
Nec minus illa Patrum virtus antiqua relucet
In te, nec dotes animi, nec corporis vsquam
Munera deficiunt, nec quæ fortuna benignis
Largita est manibus: CHRISTO *tamen, omnibus illis*
Contemptis, studiisq; tuis, teneraq; iuuentæ
Viuere, & afflictæ mauis ante omnia matri,
Quæ nos magna SION *fidis amplectitur vlnis.*
Ergo vale mundo, & quicquid fert mobile mundus,
Dixisti: nunc totus in id, quaq; arte Sioni,
Quaq; iuuentuti possis succurrere lapsæ,
Intentus sanctiq; doces pia dogmata THOMÆ,
Et quæ sydereas rectâ via ducit ad arces:
Quò cum fata volent, iudexq; vocauerit ipse,
Te quoque cœlicolis ducibus precor ire ministris.
Interea patrias propriis extendere factis
Perge tuis laudes, genus & virtutibus æqua:
Quid iuuat arma Patrum veterisq; insignia stirpis
Laudibus exaltare, & Nobilitatis honores,
Ni coniungatur pietas atque inclyta virtus?
Vera est Nobilitas claro cum sanguine virtus.

BAR-

BARTHOLOMÆVS VISCHERVS.

BARTHOLOMÆVS VISCHERVS in Arce Bauariæ Eck sita nō procul à Deckendorfo, vbi Parens eius Albertus Præfectum agebat fidelissimum, Anno altero post bellum Smalcaldicum vel Germanicum, feria sexta ante sacratissimum corporis Christi Redemptoris nostri festum natus est.

Natus Anno 1548.

CVM verò Pater eius perquàm prudens in filio egregiam quandam & præclaram indolem esse cognosceret, primis literarum rudimentis Deckendorfi & Strubingæ puerū informari voluit, qui posteà adolescens Monacum missus, studiis humanitatis ibi gnauiter incubuit.

Strubingæ fundamenta literarum iecit.

Monaci politiori literaturæ studuit.

ANNO autem 1568. ad maiores animi capescendos cultus, huc Ingolstadium venit, 11. Calend. Quintil. in Album florentissimę Academię relatus à Magnifico Domino Rectore, Alberto Hungero, &c. sub cuius felici administratione Studiosorum numerus vehementer augebatur, & eorum centum ac sexaginta quatuor inscribebantur.

CVM igitur vltra biennium & humaniorum literarum, & Logices studiis sedulam nauâsset operam, Anno 1570. Romam profectus, in Collegio Germanico & Philosophica & Theologica studia tanta cum laude atque vtilitate prosequutus est, vt nō solùm Anno 1576. 16. Calend. Octobr. doctissimas ex vniuersa Theologia Theses, Præside Reuerēdo Patre, Achille Gualiardo, Doctore Theologo, Societatis Iesu, in Vrbe publicè defenderit, easq; Summo Pontifici Gregorio XIII. cuius S.tis mirificam in se beneuolentiam & amorem conciliauit, humilimē

Ingolstadij Logicæ studio incubuit.

Romæ in Collegio Germanico Philosophica & Theologica studia prosecutus est.

Romæ Theses Theologicas defendit.

limè consecrârit, verùmetiam paulò pòst eodem mense SS.Theologiæ Licentiatus dignè ac solenniter Romæ sit inauguratus.

Romæ SS Theologiæ Licentiatus est creatus.

EODEM anno in Germaniam reuersus, mense Nouembri Ingolstadium se rursus contulit, ac discedenti in Saxoniam ad Ducem Ericum Brunsuicensem D.Rhodolpho Clenckio, vt Ecclesiam ibidem reformaret, successit in Collegij Georgiani administratione & Professione casuum conscientiæ, quam anno sequenti, post Sacrorum primitias, feliciter est auspicatus. Primò autem DEO Opt. Max. rem sacram obtulit in festo Philippi Iacobi, cui & ego & alij paucis carminibus fuimus congratulati.

Fit Collegij Georgiani Regens & Professor Casuum conscientiæ.

Primitias celebrauit Anno 1577.

CVM verò Senatus Academicus sapienter intelligeret, Dominum Vischerum acri & maturo iudicio multum pollere; Illustri ac Generoso Domino, D. Ioanni à VVolckenstein & Rodeneckh Baroni, concordibus omnium Patrum Academicorum suffragiis Rectori electo, Prorectorem, vna mente & ore, in festo Diui Lucæ, anno eodem, adiungebat: Neque onus illi tantùm imponendum, sed & honorem amplissimum adhibendum, considerate existimauit. Quocirca eum, Anno 1578. 8. Cal. Maij, vnanimi Patrũ consensu, & cõgratulante Studiosorum cœtu in Magnificum Rectorem elegit; sub cuius felici & tranquilla gubernatione, 118. Studiosorum nomina sunt Matriculæ Vniuersitatis inserta: Equidem tum congratulationis ergô Acrostichin breuem scripsi, & typis excudendam curaui; iam tamen hîc opportunè repetendam puto.

Electus est Vicerector anno eodem.

Magnificus Rector creatus est Anno 1578.

CVM verò singularis eruditio & virtus D.Vischeri ampliorem hauddubiè mereretur dignitatem, 16. Calen. Iul. Anno 1579. vnà cum D.Ioanne Ertlino, Canonico & Ec-

SS.Theologiæ Doctor creatur Anno 1579.

clesiaste Forchemio, iam electo & confirmato Suffraganeo Bambergensi; Ac D. Ioanne Baptista Pihelmair, Vicario & Suffraganeo Ratisponẽsi, Doctoralia in S. Theologiæ studio recepit insignia. Quàm frequens & celebris ille Actus in Academia nostra fuerit, Valentinus Rotmarus, piæ memoriæ, in Annalibus suis prolixiùs descripsit.

Anno 1579. eligitur Theologici Collegij Decanus.

SED paucis verbis ad reliqua progrediar: Quarto pòst mense Theologici Decanatus officio Vischerus, Doctor Theologus honoratus, antequàm illud resignaret; Anno scilicet 1580. sub finem Aprilis electus est in Magnificum Academiæ Rectorem, vnanimi Patrum cõsensu & Scholarium applausu maximo, Illustris ac Generosus Dominus, D. Ferdinandus Khuen à Belasi in Liechtenperg & Gartenau, Liber Baro in Nouo Lempach, nec nõ Archiepiscopatus Salisburgensis Camerarius hęreditarius, adolescens corporis & animi dotibus ornatissimus, & ob easdem cunctis gratissimus; cumq; à sua Dominatione Academica negotia per alium mallet tractare, in Vicerectorẽ datus est noster D. Vischerus, qui in Album Studiosorum illo Semestri 136. nomina recepit, onusq; susceptum laudatè sustinuit.

Secundò Prorector eligitur.

HÆC igitur, de D. Bartholomęo Vischero, viro optimo atq; doctissimo, summatim commemorare volui, qui ob egregia pietatis ac doctrinæ specimina meritò dignus est iudicatus, tum à S. D. N. Gregorio Papa XIII. vt Cathedralis Ecclesiæ Ratisponensis Canonicatu benignissimè donaretur, tum à Serenissimo Catholicoque Boiorum Duce, Gulielmo, administrationi Collegij Georgiani, ac Professioni casuum conscientiæ in hac Alma Academia clementissimè præficeretur.

Fit Canonicus Ratisponensis.

QVANTA autem cura & diligentia, quanta fidelitate atque industria, quanto deniq; fructu & felicitate Vischerus

Feliciter administrat muntis Regėtis in Collegio Georgiano.

ſcherus noſter vtrumq; adminiſtret munus, liquidò ferè omnibus patet: Vt enim de cæteris taceam, ſub hoc Regente, Viſchero Sereniſſimus Boiorum Dux GVLIELMVS Magnificētiſſimum atq; Ampliſſimum Collegium regalibus impenſis extruit, & Collegio Georgiano cōmodiſſimè adiungit, quod Deo Opt. Max. aſpirāte perpetuum pietatis, virtutis atq; eruditionis erit domicilium.

Munificentia Ducis Bauariæ Gulielmi.

FAXIT Deus miſericors, vt tam munificus Princeps Religioni Catholicæ, & ciuili literariæq; Reipub. diutiſſimè ſaluus & incolumis viuat; noſter etiam Viſcherus pro ſua in Collegium Georgianum fide ac meritis præmia recipiat ſempiterna, AMEN.

CARMEN VALENTINI ROTMARI,

AD REVERENDVM ET DOCTISSIMVM VIRVM, AC DOMINVM BARTHOLOMÆVM VISCHERVM, SS. Theologiæ Doctorem, caſuum conſcientiæ Profeſſorem, & Collegij Georgiani Regentem, &c.

NVPER vt Auſonia rediiſti ſaluus ab vrbe,
Hic vbi ſub PATRIBVS dulcis cognomine IESV,
Hauſiſti è ſacris diuina oracula ſcriptis,
Ingenium, VISCHERE, tuum miratus & artes
Ingenuas (Itala velut Auguſtiſſimus ora
Antè Pater miratus erat) moresq́; probatos
Bauaricæ Princeps, quo non ſapientior, ora.
Principibus placuiſſe viris, laus maxima ſæpe eſt,
Scilicet, optatum cùm non fucata fauorem

Conciliat virtus, mala nec, quæ plurima semper,
Fraudibus ars tacitis euertit pectora Regum.
At VISCHERE tamen, tantò tua gloria maior,
Quò pietas, virtusq; tua, & quò sydera adimus
Sæpius, ingenium magis elucescit agendo,
Deq; die inq; diem sublimiùs incipit ire,
Et se tollit humo, volitatq; per ora virorum.
Tu varios hominum casus, mersus labantis
Errores animæ monstras, quid soluere, quid non,
Et quos offensus queat indulgere Sacerdos,
Quosuè reseruare, & paucis vt plurima dicam,
Nouerit in dubiis animis succurrere rebus.
Hoc tamen officium super & tibi cura iuuentæ
Commissa est, doctis vbi, vasta palatia, Musis
Consiliisq; potens, opibusq; GEORGIVS ædes
Construxit PRINCEPS: sacras & protinus artes
Imbiberent iuuenes, quibus est angusta domi res,
Et quos ipse sibi legit venientibus annis.
Quin & Romanæ Præsul ter maximus vrbis
Te ritè adscripsit Mystis, Canonasq; professis,
Hic vbi Tiberij moles iacet ardua ad vndas
Danubij, Boiaq; sacro Baptismate primus
Dux quondam ablutus: tuus ô Sanctissime vates
Is RVDBERTE labor: vno hoc VISCHERE beatus
Fortè parum, quòd tot solitò differris in annos.
Perfer & obdura: contraq; audentior ito
Omne mali genus, insanos contraq; furores;
Quicquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.
Quin etiam tantum quondam tibi regna rependent
Boia fortunæ casum: virtute paterna,
Musarum in castris atque intra mœnia tutus,
Macte, & Phœbæam perge informare iuuentam.

CON-

CONGRATVLATIO

INSCRIPTA REVERENDO ET CLARISSIMO VIRO, D. BARTHOLOMÆO VISCHERO, SS. THEOL. LICENTIATO & Professori, cùm Magnificus Ingolstadiensis Academiæ RECTOR 7. Calend. Maij Anno cIↃ. IↃ. LXXIIX. crearetur:

AVTORE
M. IOANNE ENGERDO, &c.

B *LANDA nouos flores humus affert Vere comanti;*
A *rua sinus laxant; arbos viret; omnia iam nunc*
R *ident Vere nouo, & nunc formosissimus annus.*
T *u quoque, MAGNIFICE ô RECTOR læto accipe vultu*
H *oc in GYMNASIO summi gestamen honoris.*
O *quantum est placuisse viris, quos proxima Diuis*
L *audibus egregiis extollit ad æthera VIRTVS!*
O *quantum est etiam decoris, quòd rite gubernes*
M *usas Istriades, BOIIS præfectus ATHENIS!*
AE *tatis si tanta tua prudentia nunc est,*
V *t per Apollineos populos des iura volenteis:*
S *upra animi sensus quid aget maturior ætas?*
V *IVE igitur longùm, sacris decus addite Musis;*
I *ngredere ô magnos hodie, vir maior, honores;*
S *alue magne DEI summi & deuote Sacerdos,*
C *HRISTICOLVMq́, fidem & veterũ monumenta parentũ,*
H *æreticos contra fallaciaq́, arma Gigantum,*
E *ximiis propugna ausis ac robore mentis:*
R *elligionis enim qui iam sarcire ruinas*

V ndiq; collapsa terra in Germanide certat;
S ummam mercedem quondam experietur Olympo.
R ECTORIS *letis agè nunc laudabile munus*
E xcipias humeris fortunatosq; labores:
C uræ tranquillam tibi sit defendere pacem,
T utariq; bonos, & castigare nocenteis:
O mnia qui Princeps oculis DEVS *aspicit æquis,*
R ite tuos, oro, fasces & facta secundet.

ALIA CONGRATVLATIO M. IOANNIS ENGERDI, INSCRIPTA D. BARTHOLOMÆO VISCHERO, &C. CVM IN CATHOLICA Ingolstadiensi Academia, 16. Cal. Iulij, SS. Theologiæ Doctor publicè ac solenniter crearetur.

AC veluti Christus, cùm rursum ad sydera Cæli
Scanderet ætherei, verbis mulcebat amicis
Bissenos comites, meminitq; Ecclesia nuper:
Soluite corde metus, inquit, secludite curas:
Ite per immensi totius climata mundi,
Ite, mei comites; ego vos comitabor euntes:
Vox Euangelij totum vulganda per orbem
Confirmet veterum diuina oracula vatum:
Ite modò, & tantam vocem memorate creatis
Omnibus, augusti Solis quæ sydera spectant.
Cui summo defixa fides in numine CHRISTI *est,*
Et qui perpetua mersatur fonte salutis,
Huic domus ardentis subitò pandetur Olympi,
Hic feret in Cœlo sancti commercia cœtus.
At cui certa fides aberit, dubitata manebit,
Hic condemnatus Stygias descendet in vmbras.

Qui

Qui porrò discent soli mihi fidere CHRISTO,
Hos firmare potest, quòd signa stupenda sequentur.
Scilicet in nostro depellent nomine tantùm
Tartareos angues; vocis nouitate loquentur,
Ac variis spargent linguis mea semina verbi:
Serpentum tollent quoque felle madentia terga;
Et si quid biberint, quod sit lethale, veneni,
Non illis oberit, nec viuida corpora lædet:
Impositis manibus, cruciant eis corpora morbos
Sanabunt, alia iacientes arte salutem.
Non secus hoc idem CHRISTVS *quoque tempore Mystis*
Dicit idem, & fidos vocat ad vineta ministros:
Quales vos etiam, teq; ô venerande Sacerdos,
O Doctor VISCHERE *animi maturior æuo,*
Teq; ERTLINE *sacri Doctor clarissime verbi,*
Cui plures cecinêre alias mea carmina laudes,
Vult DEVS *afflictis iterum succurrere rebus.*
Gratatur meritò Romana Ecclesia vobis;
Gratatur meritò Boiorum Academia vobis;
Tu quoque VISCHERVM, *vir seruantissime recti,*
ELSENHAMERE, *foues, & eos grataris honores:*
Tu quoque Musarum Mecœnas maxime VENDI;
Nec MARTINE *minor* SEMOCK: *Rex magnus Olympi*
Prosperet amborum, vestrosq; meosq; labores.

Carmen Heroicum Bartholomæi Huberi,

DE PRIMITIIS SACRIS REVERENDI ET DOCTISSIMI VIRI, D. BARTHOLOMÆI VISCHERI, SS. Theologiæ Licentiati, &c.

IAM solenne sacrum, iam maxima vota salutis,
Quæ celebrat vates pius, interpresq́ Deorum
Eximius, templi nitidas VISCEHRVS *ad aras,*
Dum canere incipiam, vos ô duo fulmina legum,
VENDI, *&* SEMOCKHI, *mentes aduertite vestras,*
Adsitis placidi: nam quondam vester alumnus
BARTHOLOMÆVS *erat, sumptus & munera vestra*
Suauiter expertus sacras vt disceret artes:
Nunc idem vobis grato cum pectore grates
Fundere promptus adest. tibi, vir clarißime VENDI,
Principis ALBERTI, *si qua res ardua* BOIIS
Incidit, aßistens ad magna palatia Achates
Fidus, & ingentes doctus componere caussas;
Præcipuè cumulare tuos meditatur honores,
Qui fueras monitor, quin & certißimus autor,
Vt Romam caput Imperij VISCHERVS *adiret,*
Atque reportaret titulos, & præmia summa.
Ast tibi SEMOCKHI *fama notißime & arte,*
Quem Straubingensis populus magnusq́ Senatus
PRINCIPIS *actorem caussarum ad sydera iactat,*
Quæ tibi Patrono tuus hic non debet alumnus?
Scilicet illius res custodire, tueri,
Et patrio velut affectu cumulare studebas.
Sed nec adhuc animum cessas firmare paternum:
Nam quid erat caussæ, nostras inuisere sedes
Anglipolin? num te festiui gaudia voti,
Quo tuus hic vates latè circum aurea templa
Vocibus organicis fecit resonare Supremi
Diuinas primo atque nouo conamine laudes,
Huc egêre, aliis, quæ semper magna, relictis
Muneribus? leuis haud tua tanta profectio habetur.
Sic etenim exornas solennia sacra frequentans,

VISCHE-

VISCHERVM ipſe tuum, cui nunquam tanta bonorum
Gratia de memori labetur pectore, mortis
Ni veniat ſubitò non euitabile tempus.
Ergo agitè ô proceres VISCHERO plaudite veſtro
Atque iuuate virum, nec erunt dona irrita veſtra;
Quin meruit iam nunc pietatis & artis honores
Ingentes, veluti docet experientia teſtis.

EPIGRAMMA ROTMARI.

SI quid SEMOCKHI laudabile, ſi quid amicum
Eſt vſquam, noſtras tua longa profectio ad oras
VISCHERIq́; ſacrum primum digniſsima laude eſt.
Hoc eſt eſſe Patrem, nec iam tutoris habere;
Sed Patris meritus nomen: quid munera dicam,
Ipſe ego quæ ſacris te vidi ponere menſis?
Ergo Patrem cole magne tuum VISCHERE, nec vnquam
Illius è memori labatur pectore vultus,
Nec tanti quondam moriatur gratia facti.
At tu magne vir, & cauſas cui magnus agendi
Eſt vſus, cuiq́; eſt magna experientia rerum,
Macte tua virtute precor, pietate, fideq́;
SEMOCKI, æternum ſic transfer nomen in æuum,
Et tibi ſterne viam iuſtis ſub ſydera factis.

APPENDIX I. ENGERDI.

E	*t memigit cult*	*V*	*MA*	*gno VISCHERVS amāſ*	*SE*
R	*e meritos de ſ*	*E;*	*R*	*omam dum VENDIVS illu*	*M*
A	*blegans, nome*	*N*	*T*	*ali deportat alumn*	*O;*
S	*ed tamē hoc eſt, quo*	*D*	*I*	*uuit priùs impete SEMO*	*CK*
M	*ecœnas hilar*	*I,*	*N*	*eq́; adhuc deēſt ſpōte client*	*I;*
V	*ENDIVS applauſ*	*V*	*V*	*irtutum & diuite fruct*	*V*
S	*emper honorandu*	*S,*	*S*	*EMOCKVS ſemper amādu*	*S.*

GOTFRIDVS FABRICIVS.

QVANQVAM ſanè plurima de hoc viro omni laude cumulato prolixè dici poſſint; ne tamen etiamnum hac vita commorantem nimis, quaſi in os, laudare videar, breuiter ſaltem laborioſum illius vitæ curriculum hîc percenſebo.

Natus Leodij.

GOTFRIDVS FABRICIVS Leodij Eburonum, Nobili populoſaque Germaniæ vrbe, cùm aliis laudibus multis illuſtri, tum verò iam etiam R.^{mi.} S.^{mi}q; Præſulis ERNESTI, Comitis Palatini Rheni, & vtriuſque Bauariæ Ducis præſentia ac dominatione percelebri, honeſto loco inter ſuos, in menſe Octobr. Anno 1520. natus fuit. Puer admodum, cùm vix annos ſex natus eſſet, auunculorum maioris ac minoris, quorum vterque nominabatur Gotfridus Fabricius, & Leodij amplo ad S. Pauli Canonicatu fruebantur, viri præclara eruditione atque doctrina ornati, ſtudio & diligentia literas diſcere cœpit: Auunculus enim maior illum adoptauit, (quemadmodum etiã Summus Pontifex, PIVS Secundus, antea Æneas Syluius Picolhominius Senenſis vocatus, PAVLVM Secũdum, EVGENII Quarti ex ſorore nepotem) ac Fabricius cognomen impoſuit illi, qui Matius à Patre alioqui vocaretur. Neque verò vel id ætatis, propter ſummam ingenij docilitatem, immaturum cenſebat, qui & primis literarum rudimentis & paulatim politioribus diſciplinis animum excoleret. Celeriter verò omnibus artibus, quibus puerilis ætas imbui ſolet, ita profecit, apud inſtituti Hieronymiani Societatem, quæ ea tempeſtate percelebris erat, vt æquales ſuos omnes doctrinæ laude longè præſtaret; ex his autem generoſiſſimum quemq; imitandi cupiditate incende-

Adoptatur ab Auunculo maiore Gotfrido Fabricio.

cenderet. Incunte ætate, cùm in Patria Latinis & Græcis literis esset excultus, Louanium ad celeberrimũ optimarum disciplinarum domicilium, benignitate Auunculi maioris vel potiùs Parentis missus est, vbi, cùm earum rerum cognoscendarum magno studio teneretur, quæ à Philosophis tractantur, breui temporis spatio tantum in illis studiis profecit, vt adolescens nondum egressus decimumseptimum ætatis annum Philosophiç Magister, magna cum admiratione Præceptorum, crearetur.

Louanij optimis disciplinis est excultus.

Louanij Magister Philosophiç est creatus.

VSVS est Præceptoribus longè clarissimis atque eruditissimis, trilinguis Collegij Buslidiani Professoribus celeberrimis; in lingua Latina Conrado Coclenio, qui Scholia in Officia Ciceronis & alia in lucem edidit; in Græca Rutgero Rescio; in Hebræa Andrea Baleno; in Oratoriis literis Hadriano Barlando, plurimis scriptis celeberrimo; in Philosophia florentibus Amplissimis Episcopis, doctissimisq; viris, Francisco Sonnio, Cornelio Iansenio, & Iudoco Rauenstein à Tileto.

Vsus Præceptoribus clarissimis.

NE verò talium rerum studium eum lõgiùs à seuerioribus disciplinis abduceret, Ius ciuile discendum sibi proposuit, & paucis annis in eo studio consumptis, vtriusque Iuris insignia facilè est promeritus. Atqui vsus est Præceptoribus præter alios Gabriele Mudæo, viro eloquentissimo, Ioanne Hasio & Dominico Teneramundano, celebribus Iuris interpretibus.

Creatus est Louanij Iuris vtriusque Licentiatus.

NEQVE verò hoc non in magna illius laude ponendum existimo, quòd Louanij non linguas modò ac Philosophiam, verùmetiam Ius publicè docuerit, & nihilominus interea, cùm ingenio acri & vehementi præditus esset, in quamcunque partem se dedisset, atque omnium disciplinarum & linguarum capaci, priuato studio mirificam in sacris literis fecerit progressionem.

Louanij linguas, Philosophiam & Iurisprudentiam publicè docuit.

ANNO igitur 1545. cùm ingenti Christianæ pietatis amore flagraret, Louanij in Diui Francisci familiam voluit adoptari, sacræque Theologiæ tanto studio tantisq; ingenij viribus incubuit, vt ab eo tempore vsq; ad annum 1566. & Machliniæ & Louanij sacras literas eximia cum laude sit professus.

Monachus Frãciscanus factus.

Professor sacrarum literarum.

ID temporis Louanij ad summum decus feliciter euecta erant studia literarum sacrarum, fundato iam insigni illo Pontificio ad sacra percolenda studia Collegio à Pont. Max. Hadriano Sexto, Imperatoris, Caroli Quinti Præceptore exquisitissimo; vnde tanquam ex equo Troiano prodiêre Ioannes Driedo à Turnhout, Iacobus Latomus & Ruardus Tapperus ab Enchusia, Cancellarius; à quibus insigniter excultus est Ioannes Hasselius, qui diem clausit extremum in Concilio Tridentino, & Iudocus Tiletanus: Quibus operam studiosissimi discipuli nauauit Gotfridus noster: Adiunctis nihilosecius Episcopis Gandauẽsi; Cornelio Iansenio, Ruremũdensi, Gulielmo Lindano, & Augustino Hunnæo: Quorum omnium Theologiæ Doctorum longè clarissima extant librorum monumenta.

Sacra studia Louanij felicissimè efflorescunt

CVM verò, anno Domini 1566. tumultus maximis turbinibus ac fluctibus Reipub. in Belgio cœpissent moueri, & Religionibus consecrati homines atque Theologi vix vsquam periculo essent vacui; Pater Gotfridus, tam difficili rerum tempestati cedens, non solùm Complutensem, sed & alias Hispaniæ, & in reditu Galliæ Academias sedulò perlustrauit.

Perlustrat Hispanicas & Gallicas Academias.

IN quot autem & quanta pericula ad hoc vsque tempus Senex inciderit, memorandum hoc temporis nihil est. Æstimare verò licebit ex tot ipsius discipulis & fratribus, qui pro Religione Catholica fortissimè constan-

tissimeque mortem oppetierunt. Vt nihil dicatur de tot librorum omnis generis incredibili iactura.

His ergo periculorum turbinibus huc illuc exagitatus, Hispaniam, Galliam, Germaniam, Italiam est emensus, & bis inuisit Vrbem Romam.

Italiam & Vrbem Romam inuisit.

A Ministro denique generali Oenipontum ad Serenissimum Archiducem Austriæ, Ferdinandum missus, illinc præcipua fratris sui germani, Andreæ Fabricij, Doctoris Theologi, opera & instigatione Monacum à Serenissimo Boiorum Duce, Gulielmo, benignè est vocatus, vt in hac Alma Ingolstadiensi Academia sacras publicè doceret literas, vbi iam SS. Apostolorum Acta doctè fructuoseque dilucidat.

Missus Oenipontum.

Ingolstadij fit sacrarum literarũ Professor.

SED proh dolor, quemadmodũ omnia in hoc exiguo vitæ curriculo sunt fluxa & caduca, Gotfridus noster sæpius desiderata optataque charissimi fratris, Andreę, consuetudine atque familiaritate diu frui non potuit: Huius enim ipsius anni proximo vere vitam cum morte piè trãquilleque commutauit Andreas ille Fabricius, Doctor Theologus, & vir omni pietate, virtute doctrinaque excellentissimus, cuius manibus bene feliciterque precamur: Is, cùm à Gotfrido nostro aliisque Præceptoribus eruditissimis & Philosophiam & Theologiam accuratè didicisset, ac Religionis ergo Vrbem inuisere apud animũ proposuisset, ab Illustrissimo Principe, Augustano Cardinale OTHONE, benignissimo literarum Patrono, Cardinali Alexandrino; ab Alexandrino, Summo Pontifici, PIO Quinto; à Summo Pontifice, Catholico Boiorum Duci, ALBERTO diligentissimè commendatus; ab ALBERTO denique ERNESTI filij moderator constitutus, Serenissimæ Celsit. eius & Consiliarium, & per sexennium Romæ Oratorẽ fidelissimè dexterrimeq; peregit.

Habuit Doctorẽ Andream Fabricium, fratrẽ doctissimum.

QVAM mirifica verò eruditione Andreas fuerit prę-ditus,& quàm præclarè de Catholica Ecclesia promereri semper studuerit; tum ex multis insignibus ipsius laboribus, tum vel maximè ex doctissimis eius libris perspicuè licet videre; Collegit enim Harmoniam Confessionis Augustanæ, adiectis Caroli V. Cæsaris potentissimorumque Principum, & doctissimorum hominum de eadem iudiciis, eamque Coloniæ, Anno 1573. Typis diuulgauit; item Anno 1569. Iephte, Tragœdiam nouam ex sacra Iudicum Historia desumptam; item Antuerpię Anno Domini 1572. Quæstiones & Annotatiunculas in Catechismum Romanum ex decreto Concilij Tridentini editum: Quinetiam, cùm lecto affixus extremè decumberet, ac penè iam desperata valetudine affligeretur; nihilominus elegantes versiculos meditabatur, & pulcherrimam Tragœdiam, cui Titulus est Roboam Rebellans, conscribebat, quam Deo volente breui, vt spero, in lucem editam legemus.

D. Andreas Fabricius libros egregios in lucē edidit.

ATQVI Serenissimus Bauariæ Dux ALBERTVS, præclara sempiternaque memoria dignissimus, non tantùm magnis honoribus Andream illum liberaliter affecit; sed & amplissima Ecclesiæ Collegiatæ Præpositura apud veterem Oetingam (vbi vetustissimum, sanctissimū atque miraculis innumerabilibus longè clarissimum beatæ Mariæ Virginis Sacellum sacris peregrinationibus frequentissimè inuisitur) munificè donauit.

D Andreas fuit Præpositus Oetingensis.

HÆC strictim de Gotfrido nostro percurrere volui, qui annis & meritis in Catholicam Religionem, Rempublicam literariam, & familiam S. Frācisci grauissimus, non solùm per totum vitæ spatium maximis perfunctus est laboribus, vt, qui & Leodij & aliis in locis, Latinè, Gallicè, Belgiceque fuerit concionatus; verùm etiam peregrinan-

D. Gotfridus Latinè, Gallicè, Belgiceq; se concionatus est.

grinando, legendo, docendo, ſcribendoq́ue plurimos ſuſtinuit labores, & adhuc in ſenectute ingraueſcente non ceſſat ſuſtinere: Deus, remunerator omnium bonorum largiſſimus, optimo Gotfrido, poſt hanc vitam mortalem, immortalem futuræ vitæ coronam miſericorditer largiri dignetur, AMEN.

CARMEN M. IOANNIS ENGERDI, &c.

AD REVERENDVM, CLARISSIMVM ATQVE DOCTISSIMVM P. GOTFRIDVM FABRICIVM, APVD INGOLSTADIENſes Franciſcanum Theologum.

AC veluti caſtrorum aciem belliq́, labores
Armis egregius certo Dux ordine ponit:
Hi ſunt Rectores iuuenum rerumq́, Magiſtri;
Illi ductores armata ante agmina primi,
Alter equûm domitor florenteis ære cateruas;
Alter agit nimbum peditum longáſque cohorteis.
Hic primas acies: poſtremas ille coërcet.
Signa ferunt alij: Martem clangore tubarum
Accendunt alij: pars bello lecta iuuentus
Perfurit hîc, illic multum ſine nomine vulgus.
Talia Dux medius ſocios partitur in omneis
Munera, ſortiturq́, vices, quod cuiq́, tuendum eſt.
Haud aliter (ſit fas componere ſacra prophanis)
Rex Chriſtus, rex idem hominum, diuûmq́, Sacerdos
Directas acies, quæ ſunt Eccleſia miles,
Explicat his mundi caſtris: Hierarchicus ordo
Argumentum ingens: alij bis ſena virûm vis

Illorum

Illorum comitum sese & sua signa sequentum:
Quos Oratores delectos ordine ab omni
Verba DEI *totum iussit vulgare per orbem,*
Atque omneis fluuio gentes mersare salubri.
Pars sunt fatidici vates ventura canentes:
Pars Euangelij foliis oracula mandant
Plurima: Doctores alij doctissima fandi
Ora tenent: aliis ouium pecudumq; Magistris
Cura datur, teneras vt oues in pascua mittant.
Talia Rex Superûm CHRISTVS *Summusq; Sacerdos*
Dona dedit, Cælô ascendens, mortalibus ægris,
Hæc inter summi monumentum ac pignus amoris,
Magna Sacerdotij vis & diuina potestas:
Cuius præradiis mundi totius honores
Horrescunt tenebris, nec non & maxima Regum
Nomina cunctorum, leuia ac ludicra putantur.
Nam quem plumipedes acies supera alta tenentes
Illustresq; animæ tremebundo pectore adorant
CHRISTVM *illum Dominum, rerum cui summa potestas:*
Hunc omnis, quoties tantùm fert corde voluntas,
Et lingua profert verba illa augusta Sacerdos,
Euocat è Cælo, & crusti sub imagine tractat
Non manibus solùm, sed & in sua viscera mittit:
Ille idem dextra tribuit spirabile numen
Imposita: qualis simul es, GOTFRIDE, *Sacerdos*
Quem sacra Relligio, pietas atque aurea virtus
Voluere tot dubios casus, tot adire labores
Impulit: vt rerum posses cognoscere caussas
Scrutatus Sophiam, loqueris nunc ore Pelasgo,
Nunc simul Hebræo: quin & prudentia iuris
Indagata tibi bifidi est Astræaq; virgo,
O quoties sacrata doces oracula Diuûm

Nosq; admirantes docto pendemus ab ore!
Perge agè, perge diu nobis diuina reperta
Pandere, & Historiam comitum ductoris IESV:
Dÿ tibi pro meritis, quibus Alma Ecclesia gaudet,
Boiides & Musæ & nostra lætantur Athenæ,
Præmia digna tuis, æternaq; gaudia reddent.

EPILOGVS.

QVOD superest, cùm iam optatum primi Academiæ Ingolstadiensis Tomi finem, inexhausta Dei Opt. Max. benignitate aspirante, feliciter maturem, sub tranquilla prudentique Rectoratus administratione Reuerendi ac Magnifici viri, D. Bartholomæi Scholl, SS. Theologiæ Licentiati, Parochi ad Diuam Virginem, & electi confirmatique Episcopi Dariensis, ac Suffraganei Frisingensis, &c. Patroni de me bene meriti; equidē operæpretium fore penitùs existimaui, vt tum ad declarandam grati animi testificationem, tum mirificum Academiæ nostræ celeberrimæ honorē, ex qua, tāquam ex equo Troiano, huiusmodi viri clarissimi, solidæ ac fortes Christianæ Reipub. bases, abundanter prodeunt, virtutes & studia viri doctissimi, D. Schollij, breuiter decurrerem, adeoque operi huic imponerem Colophonem.

Qua occasione autor vitam D. Schollij adiungat.

BARTHOLOMÆVS SCHOLL.

ANNO Iubilæo 1550. in die S. Magni 8. Id. Sept. qui tum incidit in Feriam quintam, ingressus est in hāc mortalis vitæ lucem Bartholomęus Scholl; ex Parentibus

Vu Guliel-

Anno 1550. Natus in Hohẽvvart.

Gulielmo Schollio & Anna Forsterina, legitimè honesteque natus, ortu Hohenvvartensis Bauaricus: Est autem Hochovvartum locus Bauariæ celebris, qui ab Auentino in Annalibus Boiorum lib. 2. Alta specula, & Summontorium vocatur; olim Arx munitissima, vnde quàm latissimè quoquoversum prospectus patet, ac Principibus suis plurimùm nobilitata: Hinc enim oriunda est Diuì Conradi Pontificis Constantiensis Mater. Nunc verò est oppidum, quod Bario amne ad decimum ab Ingolstadio lapidem alluitur, & Cœnobium fœminarum, quod Ortulphus Tetrarcha Boiorum locupletissimus, & VVildruda filij Rapatonis & Hemmæ (teste eodem Auentino lib. 5. & 7.) sacratis cōdidere Virginibus, & in hunc vsq; diem Diuorum ossibus sacratissimum, à frequenti populo supplicandi gratia crebrò visitatur. Equidem in ea sum opinione, locum natalem in multis aliquod singulare pietatis atque virtutis indicium prælucere.

Schvvatzij educaturà Patruo D. Hieronymo Schollio.

SCHOLLIVS ergo noster, puer admodum, indole bona præditus, à Patruo suo, viro clarissimo, D. Hieronymo Schollio, Theologo, liberaliter educabatur, & prima literarum rudimenta faustè iaciebat Schvvatzij, in Comitatu Tyrolensi, loco propter res metallicas, argētum, æs, nobiles lapides, ac potissimùm Magnetem & Malachitem, qui ex montibus ibi copiosè effodiuntur, in Germania notissimo. Sæpissimè profectò me ex D. Schollio, cuius honestissimo cōuictu vltra biennium, & literata familiaritate vltra decennium libenter vsus sum, audire memini, se mente gratissima, quòd ad optimarum literarum studia animum adiecerit, & quicquid in iis profecerit, Patruo suo debere. Fuit autem Hieronymus illius Patruus, vir sacra liberaliq; doctrina excultus, Sacerdos optimus, & Concionator disertissimus, qui, cùm primò ad D. Mauritium

Laus D. Hieronymi Schollij, insignis Theologi.

ritium Augustæ Vindelicorum Canonicus, ac deinde in Kauffpeurn Imperiali ciuitate Ecclesiastes multis nominibus esset celebratus; illinc à D. Ferdinando, Romanorum Imperatore pientissimo, Schvvatzium vocabatur, ibiq; Parochi atq; Concionatoris officium summa cum laude, auditorumque fructu vigilanter administrauit, & stipendio & muneribus ex Aula Cæsareæ Maiestatis dignissimè honoratus.

SED progredior ad Bartholomęum nostrum: Is, cùm Suatzio Oenipõtum, vbi Serenissimi Ferdinandi, Archiducis Austriæ, &c. Aula est & Regia, tãquàm ad nobilius literarum Emporium se contulisset, adolescens natus ad annos quatuordecim, & in Collegio Societatis IESV studia Humanitatis vtiliter inchoâsset; circiter annum 1568. Monacum profectus, in Collegio eiusdem Societatis diligentem literaturæ politiori operam nauauit, & fructuosam in ea fecit progressionem. Eo autem quadriẽnio, quo Monaci commorabatur, & se, & alios studiosè bonas docebat literas: Qui enim alios docet, vt vulgò vereq; aiunt, se ipse docet. Vsi sunt primùm fideli eius institutione Nobiles optimæq; spei adolescentuli, Ioannes Schrenckius, iam Serenissimo Boiorum Duci, Gulielmo à Consiliis, & Christophorus Schrenckius eidem Principi iam à seruitiis; filij ambo Nobilis atque prudentissimi Domini, Caspari Schrenckij ab Emmating, Patricij Monacensis, ac tum temporis Serenissimo Duci, Alberto, à Feudorum Præfectura & Consiliis, viri tum de Schollio, tum de multis aliis præclarè merito; pro eo sanè atque Nobilis & peruetus hæc Schrenckiorum familia, pietate, virtute, doctrina & meritis in Rempub. semper fuit excellẽtissima, & adhuc insigniter excellit.

Barth. Schollius Oeniponti humanioribus literis studere cœpit.

Monaci absoluit.

Pædagogus Ioãnis & Caspari Schrenckiorum, Patritiorũ Monacensium.

Laus amplissima nobilis Schrẽckiorum familiæ.

ATQVE, cùm singularis Schollij fides, industria & se-

Schollius à D. Hieronymo Nadlero commendatur D. Hundio.

dulitas in discipulis informandis, esset non paucis Monachij perspecta; Anno 1568. D. Hieronymus Nadlerus, Iuconsultus excellentissimus, Serenissimo vtriusque Bauareriæ Duci, Gulielmo à Cõsiliis, & inclyti Fœderis Landspergensis Cancellarius, &c. ea commendatione, quæ potuit esse diligentissima, commendauit illum Nobili Magnificoque viro, D. VVigulæo Hundio in Sulzenmos & Lending, Iureconsulto exercitatissimo, eidem Principi Gulielmo à secretioribus Cõsiliis, Aulicíq; Senatus Pręsidi, &c. Patrono mihi plurimum colendo; cuius duos filios eximia spe animi & virtutis præditos VVigulæum, & Ioannem VVilhelmum, adolescentem suauissimis ornatum moribus, optimis literis Schollius per biennium accuratè fideliterque imbuit.

Fit Pædagogus filiorum D. VVigulæi Hundij, scilicet, VVigulæi & Ioannis VVilhelmi.

Ingolstadium venit.

NE verò studiis humanioribus aliquantò longiùs occuparetur, Anno 1570. Ingolstadiũ ad celeberrimũ optimarum artium domicilium venit, inscriptus in Academiæ Matriculam, 4. Non. Iunij, à Magnifico Rectore, D. Ioanne Lyresio Cliuensi, literaturæ Græcæ Professore, viro optimo atq; doctissimo, cui & ego duobus pòst mensibus, cùm Passauia huc me cõtuleram, 5. Cal. Octob. nomen meum dedi. Hîc vltra biennium nos ambo, Philosophię curriculo feliciter absoluto, vnà cum aliis duodecim Candidatis, pridie Nonar. Octobr. Anno 1572. Liberalium artium Magistri, ac Philosophiæ Doctores publicè solenniterq; fuimus inaugurati; quemadmodum & antè sub initio eiusdem anni, Philosophiæ, & pòst Anno 1579. Theol. Baccalaurei vnà sumus creati. Porrò Monacum Schollio reuerso Magnificus D. Hundius filios suos eosdem, quos suprà nominaui, in fidem & disciplinam rursus commisit, quos cùm per alios integros annos non minùs fideliter atque antea ingenuis artibus informâsset, Anno

Philosophię Magister creatur.

Fit iterum Præceptor filiorum D. Hundij.

no 1574. mense sextili, ad nostras Athenas rediit, & sacris se totum literis consecrauit: Anno em̃ sequenti Iubilæo Sacerdos Eystadij ritè ordinatus, feria secunda Paschatis in æde D. Mauritij sacrorũ Primitias celebrauit, in quas ego tunc Distichon hoc Numerale pangebam:

Ordinatur Sacerdos, & celebrat Primitias.

SoL qVater AprILI Vernat, noVe SChoLLe saCerDos,
IVbILA fer nostro, ferpla saCra Deo.

Addita precatiuncula.

S umme Deus verbumq́ Dei & spirabile numen,
C hriste, resurrexti qui rursum in lumina vitæ,
H uc ades & castis animis illabere Scholli,
O stia qui Cœli claudens, & clausa recludens
L imina, sacra facit hodie mysteria primùm;
L ætandum est hodie, fert iubila tempus & annus.

Postquàm verò Schollius noster per integrum ferè annum diligenti Cooperatoris officio ad S. Mauritium perfunctus esset, eodem adhuc anno Iubilæo ad Parochiam in Hospitali, ob egregias suas virtutes & doctrinam, facilè est promotus: Quam Spartam ille tam laudabiliter exornauit, vt Anno 1578. 11. Calend. Iun. ad augustissimam Christianæ Virginis ædem Parochus & Ecclesiastes Academicus legitimè confirmaretur; vir præter ætatem maturus & grauis, magnæ prudentiæ, humanitatis & in dicendo facundię, & in concionando eruditionis.

Cooperator ad D. Mauritium.

Parochus ad S. Spiritum in Hospitali.

Parochus ab initio Parochiæ 12. & Academiæ 17.

Verumenimuerò, vt publicum aliquod eruditionis specimen Parochus noster ederet, Anno 1579. 3. Non. Iunij, difficilimas de Sacrosanctæ Missæ sacrificio Theses ipse vnà cum Reuerendis atque doctissimis viris, D. Ioanne Diethmaro, Monasterij Furstenfeldensis, ordinis Cistertiensis Professo, iam SS. Theologiæ Licentiato; Et D. Sebastiano Pollingero ad splendidas expectato conditiones,

Defendit Theses Theologicas.

Baccal. Theol. Formatus creatur.

nes, eruditè propugnauit, & simul cum iisdem Theologię Baccalaureus Formatus factus est.

PROINDE, cùm Senatus Academicus singularem morum & iudicij grauitatem in hoc viro vbertim cognosceret; Anno 1580. in festo S. Lucæ, Generoso Iuueni, Domino Ioanni, Domino in Anstenraëd, Geleein, & Baronatus Eysden, Fulckenburgensi, Rectori Magnifico, Prorectorem sapienter adiunxit; & anno hoc currẽte 1581. in festo S. Georgij Rectorem dignissimum vnanimi consensu elegit. Tam amplas verò & præclaras laudes, ex vtraque administratione, ob raram & prudentiæ & iudicij sui maturitatem, fortunatè prosperéq; reportauit, vt in graui Prorectoratus officio, à Reuerendissimo, Serenissimoque Boiorum Duce, ERNESTO, Leodiensi, Hildesheimensi ac Frisingẽsi Episcopo Amplissimo, &c. Suffraganeus Frisingensis, & Concionator Ecclesiæ Cathedralis designaretur; & SS. Theol. Licentiatus à Reuerendo Collegio Theologico meritò crearetur.

Eligitur Prorector.

Creatur Magnificus Rector.

Designatur Suffraganeus Frisingensis, & Concionator Ecclesiæ Cathedralis.

FAXIT ille Cœlum atq; terras tuens & regens Deus, vt Bartholomæus Schollius noster (qui iam à S. D. N. GREGORIO Papa XIII. confirmatus est Episcopus Dariensis, & Suffraganeus Frisingensis, quàmprimum ritè consecrandus) tantæ dignitati tantoque muneri laudatissimo præsit, vitam longissimam eamque saluam & nullis afflictam morbis ducat, & denique vita fruatur sempiterna; quam, vt vnà cum S. Cœlitibus idem DEVS Opt. Max. & mihi, & omnibus Catholicæ Romanæque Ecclesiæ membris fidelibus clementissimè donet, omni animi subiectione ac veneratione, ad extremum vsq; vitæ spiritũ precari non desistam: Summæ Dei Trini & Vnius Maiestati sit laus, honor, gloria & gratiarum actio in secula seculorum, AMEN. FIAT, FIAT.

Confirmatur à Summo Pontifice Episcopus Dariensis.

CARMEN

CARMEN VALENTINI ROTMARI, &c. AD EVNDEM.

ET dubitamus adhuc, nec nos exempla priorum
Inflammant Procerum, virtute extendere famam,
Et velle ingenio volitare per ora virorum,
Quando tot è Boio magnis prodire Lycæo
Cernimus ornatos titulis & honoribus auctos?
Anné etiam illius laudis pars vna redundat
In nostram partita Scholam; aut fœlicia sacri
Fata loci, virgoq́ tui caussem inclyta templi
Alma DEI *genitrix? nostras quæ numine Musas*
Seruas ritè tuo, & multis solenne sacellis
Tutaris templum; tot Relligionis Atlantes
Quòd pia ceu genitrix gremio depromis ab alto.
Ergo ter & quater es Mariana Paræcia felix:
Quo, precor, Istriades Princeps sub sydere ad vndas
Condidit, & tantam cœpit te extollere molem?

Templum ipsum augustum & multis sublime columnis
Esse author voluit; super & Pater addidit ædi
Arte laboratum munus, gemmisq́ superbum,
Atque illustre auro, & lætissima virginis ora
Aethereæ referens: visu admirabile cunctis.
Ipsa domus Cœlum clemens atque aëra sentit;
Sæua lues rarò Pastorem funere mergit:
Nam domui dominoq́ domus est parcere docta
Virgo DEI *genitrix, fidi haud secura ministri.*
Hinc ego Doctores, quibus atque Licentia nomen,
Indidit; imò etiam multos prodisse recordor
Pontifices: rapuêre duos crudelia nuper

Fata

Fata;at nunc etiam duo fortia pectora viuunt,
Ex vno deprompta penu,temploq́ domoq́:
Tertius Antistes succedit SCHOLLIVS *illis.*
Hæc matris bonitas; tam præmia iusta ministris
Eximiosq́ suis virgo largitur honores,
Atque indotatum patitur discedere nullum.
Ad te sed propiùs veniendum carmine, SCHOLLI,
Atque tuos,hodierna dies quos donat,honores.
Nunc quoque præteriti si temporis acta recordor,
Insomnes noctes,& te sub sydere cancri,
BARTHOLOMÆE,*dies studiis impendere totos;*
An non est,animum quod non sinit esse quietum,
Et veterem in virtutem hominem,sensusq́ viriles
Excitat? illa etiam finis pulcherrima semper,
Quæ Christo inseruit,sacra inseruitq́ Sioni:
Illa tibi finis,perpessi hæc meta laboris,
BARTHOLOMÆE,*fuit: sed non sine munere: namque*
Et tibi iam studij veneranda Licentia sacri,
Et veniet sacrumq́ pedum sacraq́ Tiara
Perquàm illustre decus:quid Mosa, quid accinet Ister?
Hæc ego pauca tibi cecini,doctissime SCHOLLI,
Carmina: sit pietas & sit precor aurea virtus,
Sit tibi Relligio cordi; sit FEVCHTIVS *ille*
Exemplo Antistes;qui te præcessit eodem,
Ille PIHELMARIVS *Præsul notissimus vrbi*
Tiberij Augustæ IANVS BAPTISTA,*sacratæ*
In templo MARIÆ: *te tertius excitet* HECTOR,
HECTOR *ad irriguum Præsul doctissimus Istrum,*
Hic vbi Danubio magno se immiscuit Oenus
Iam dudum rapidus: duplices fortunet honores,
Qui regit astra, DEVS, *qui terram fecit & æquor.*

INDEX

INDEX ALPHABETICVS ILLVSTRISSIMORVM PRINCIPVM, ILLVSTRIVM COMITVM, ATQVE GENEROSORVM BARONVM, AD QVOS IN ACADEMIAE INGOLSTADIANAE Tomi primi Parte prima facta est Acclamatio.

INDEX ALPHABETICVS REVERENDISSIMORVM, ILLVSTRISSIMORVMq́; PRINCIPVM, EPISCOPOrum Eystetensium, perpetuorum Ingolstadiensis Academiæ Cancellariorum, qui in secunda Parte describuntur.

INDEX ALPHABETICVS AMPLISSIMORVM INGOLSTADIENSIS ACADEMIÆ PROCANCELLARIORVM, QVI IN EADEM SECVNDA Parte nominantur.

INDEX ALPHABETICVS SERENISSIMORVM, ILLVSTRISSIMORVMq; PRINCIPVM, QVI ALMAM INGOLSTADIENSEM ACADEMIAM COLLVSTRArunt, & in tertia Parte memorantur.

INDEX ALPHABETICVS ILLVSTRIVM COMITVM, QVI ALMAM INGOLSTADIENSEM ACADEMIAM collũſtrârunt, & in quarta Parte memorantur.

INDEX ALPHABETICVS GENEROSORVM BARONVM ET DOMINORVM, &c. QVI ALMAM INGOLSTADIENSEM ACADEMIAM COLLVSTRARVNT, ET IN quinta Parte primi Tomi memorantur.

Paulus

Summa Familiariũ vltra LVI.
Summa Perſonarum CXIX.

INDEX ALPHABETICVS

REVERENDISSIMORVM, ILLVSTRISSIMORVMq; ARCHIEPISCOPORVM ET EPISCOPORVM, QVI ALMAM INGOLSTADIENsem Academiam collustrârunt, & in sexta Parte memorantur.

INDEX ALPHABETICVS

REVERENDORVM, CLARISSIMORVMQVE SS. THEOLOGIÆ PROFESSORVM, QVI IN SEPTIMA PARTE describuntur.

Her-

Summa Theologorũ XXXV

INDEX ALPHABETICVS

ILLORVM, QVORVM ALII OBITER SALTEM IN HOC PRIMO INGOLSTADIENSIS ACADEMIAE TOMO NOMINANTVR; ALII VERÒ, IN PROPRIO QUIDEM LOCO DESCRIPTI, NIHILOMINUS HINC INDE MEMORÀNTUR.

A.

B.

Gedi-

Ioannes

Marti-

R.

S.

T.

V.

Vitus

Tomum hunc primum almæ Ingolstadiensis Academiæ rectè typis committi posse censeo,

Albertus Hungerus, S. Theologiæ D. Professor ordinarius, & Procancellarius in eadem Academia Ingolstadiana.

CANDIDO LECTORI SALVTEM.

INciderunt quidem non tantùm operarum incuria, verùm etiam ipsius primi Autoris & occupationibus varijs & aduersa valetudine aliqua errata, quæ tamen pleraq; sensum orationis perturbare non videantur. Quocirca præcipua quædã hic notare volumus, te, Candide Lector, amicè rogantes, vt quicquid in hoc primo Tomo, tum à me, tum à Rotmaro, piæ memoriæ, fuit elaboratum, æqui boniq; consulas. Bene feliciterq; vale, & secundum Tomum primo quoq; tempore, Dei Opt. Max. benignitate aspirante, à nobis expecta.

ERRATA.

Pagina 17.b. in margine, lin.5. pro Tredurensis, lege, Leodiensis. pag.33.lin 15. lege præfractum. pag.48 lin.27. paucis pro pauci. pag.49. lin.3. lege Præsidis. pag.53. b. lin.14. pro Princeps, Principes. pag.54. b. lin.28. pro metram, mitram. pag.55. lin. 15. pro duxi, dixi. pag.56. lin. 15. sensusq;. pag.58. b. lin. 25. lege, in Montfort alterius lineæ. pag.63. lin. 19. pro Ioannes, Ioachimus. pag. eadem, b. lin.27. pro 99. lege 66. pag.97. b. lin. 4. lege Schlierstat. pag. 99. b. lin. 11. pro tractat, trahat. pag.108. lin. 18. pro illis, illic. b. lin. 2. pro iam cùm, iam tum. pag.100. lin.21 lege Doctor Theologus, Collega D. Petri Canisij & Legatus in Comitiis VVormatiensibus Imperatoriis. pag. 112. b. lin. 2. lege Cuuillonio pro Cauillonio, vt & lin. 8. pag.114. lin. 24. lege & Ducibus. pag.125 lin.16. pro Franck, Frantz. pag.129. b. lin. 4. pro Bassau, Passau. pag.132. b. lin.18. pro statunt, statuent. pag. 141. b. lin.9. pro præcocia lege lugubria. pag.145. lin.26. pro Præpositura lege, Beneficio. pag 146. b. lin. 12. post Commendono, pone comma. pag.170 b. lin.2. pro Bauaticus, Bauaricus. pag. 171. b. lin. 23. pro duodecim, duodetriginta. lin.31. lege integros duos annos. In Indice fol. Yy. 2. linea antepenultima, lege Theol. Doctor.